DE
POSIDONIO LUCRETI CARI
AUCTORE
IN CARMINE DE RERUM NATURA VI.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
GRYPHISWALDENSI
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
ANTE DIEM VII KAL. SEPTEMBRES ANNI MDCCCLXXXII
H. XII
UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS
PUBLICE DEFENDET
SCRIPTOR

PAULUS RUSCH
POMERANUS.

ADVERSARII ERUNT:
GEORG. KNAACK, DR. PHIL.
EUG. HORN, DRD. PHIL.
ALB. TRABANDT, STUD. PHIL.

GRYPHISWALDIAE, MDCCCLXXXII.

FRANCISCO SUSEMIHL

PIETATIS ERGO.

Usque ad nostrum tempus, qui de fontibus carminis Lucretiani quaesiverunt, viri docti poetam nihil putant in opus suum recepisse, quod non iam magister docuisset Epicurus [1]). Quin etiam de Empedocle et Thucydide nuper Woltierus dixit in speciminis literarii sui pag. 183 [2]): ‚cum autem Empedoclis carmen multa contineat, quae poetam, ut ea imitaretur, stimulare debeant, in quibus Lucretius Agrigentinum non aemulatus est, probabile est ea, quae aliquam speciem similitudinis habeant, non tam ex ipso Empedocle sumpta esse quam ex Epicuro.' et iam antea pag. 160: ‚Potius credimus Epicurum de morbis scribentem, cum de peste ageret, Thucydidis descriptionem secutum esse, nonnulla addidisse, alia quae emendanda ei viderentur emendasse et Lucretium magistri vestigia pressisse.' De priore sententia nihil certi affirmari potest, nam Epicureos, qui ante Lucretium vixerunt, in studiis Empedocleis versatos esse testatur titulus librorum Hermarchi qui exstat apud Diogenem Laertium X, 25: ‚*ἐπιστολικὰ περὶ Ἐμπεδοκλέους εἴκοσι καὶ δύο*', et eos, cum suam doctrinam exponerent, versus ipsos Empedoclis attulisse manifestum est ex fragm. apud Sextum adv. mathem. XI, 96 p. 560, 26 (Bekk.) servato: *Ἀλλ' εἰώθασί τινες τῶν ἀπὸ τῆς Ἐπικούρου αἱρέσεως πρὸς τὰς τοιαύτας ἀπορίας ὑπαντῶντες λέγειν ὅτι φυσικῶς καὶ ἀδιδάκτως τὸ ζῷον φεύγει μὲν τὴν ἀλγηδόνα, διώκει δὲ τὴν ἡδονήν· γεννηθὲν γοῦν καὶ μηδέπω τοῖς κατὰ δόξαν δουλεῦον, ἅμα τῷ ῥαπισθῆναι ἀσυνήθει ἀέρος ψύξει ἔκλαυσέν τε καὶ ἐκώκυσεν*, quibus in versibus Epicureus ille Sexti verba Empedoclea vv. 385 sqq. (ed. Stein) recordatus est:

1) cf. Zeller, ‚phil. d. Griech.' III, 1 c p. 547 adn. II. R. Hirzel, ‚Untersuchungen zu Ciceros phil. schriften' I p. 98 adn. 1.

2) Lucretii philosophia cum fontibus comparata, Groningae 1877.

κλαῦσά τε καὶ κώκυσα ἰδὼν ἀσυνήθεα χῶρον
ἔνθα Φόνος τε Κότος τε καὶ ἄλλων ἔθνεα Κηρῶν
αἰχμηραί τε νόσοι καὶ σήψιες ἔργα τε ῥευστά.

Eorundem versuum etiam Lucretius meminit, cum scriberet vv. 222 sqq. libri V:

tum porro puer, ut saevis proiectus ab undis
navita, nudus humi iacet, infans, indigus omni
vitali auxilio, cum primum in luminis oras
nixibus ex alvo matris natura profudit,
vagituque locum lugubri complet, ut aecumst
cui tantum in vita restat transire malorum.

Quis autem scit, utrum Sexti auctor illa tantummodo Empedoclis verba, non integros versus laudaverit — forsitan alii quoque Epicurei illius carmina adhibuerint — an Lucretius memoriam poetae Agrigentini ex ipsius carminibus sumpserit [8])?

De hoc igitur fonte nihil certi statuere licet, certius aliquod de Thucydide; nam fieri nequit, ut Epicurus descriptionem Thucydideam de peste Atheniensium usque ad verbum in opus suum ita receperit, ut Lucretii versus tantum conversi esse videantur ex Attico scriptore. Praeterea Lucretius praeter Thucydideam alteram quoque descriptionem commemorat, praecipue in vv. 1182—96, quos cum Hippocratis doctrina valde consentire iam antiqui interpretes viderunt et quos Woltierus iterum Epicuro tribuit. Eidem etiamsi viri docti statuunt, quae inveniuntur apud poetam Romanum, omnia deberi, tamen priorum tantum carminis librorum fontem illum esse fragmenta docent, sed ad sexti libri partem alteram cum magistri scriptis comparandam fere nullae eorum reliquiae exstant.

---

8) Lucretium Empedoclis carmina ipsum inspexisse, contendit Briegerus in censura Woltieri libri in Bursiani annall., 1877 p. 74. Versus qui in utroque poeta consentirent, composuerunt Hallierus in diss. ‚Lucretii carmina e fragmtt. Empedoclis adumbrata' Jenae 1857, et Baestleinius in progr. Schleusingae 1875: ‚Quid Lucretius debuerit Empedocli Agrigentino', sed multis in rebus in consensu utriusque inquirendo modum transierunt.

In hac Lucretius disserit de terrae motibus (vv. 535—607), de natura maris, quod nunquam augeatur (607—39), de Aetnae eruptionibus (vv. 639—702), deinde novo prooemio interposito (702—11) de Nilo (711—38), de lacu Averno (738—840), de aqua puteorum, quae aestate frigidior sit quam hieme (840—48), de fonte apud Hammonis fanum sito (vv. 848—79), de fonte Dodonaeo (879—905), de magnete (905—1090), de morborum causa (1090—1137), denique de peste Atheniensi (1037—1285).

Quarum rerum discipulum strenuissimum ipsum nihil nisi Epicuri causas attulisse credere nequeo, neque magister quidem, ut assecla nullam aliam rationem quam ipse diceret, postulavit, quia ipse semper non certas rationes protulit, sed scribere solebat etiam alias causas rerum esse posse, quas nesciret, et insani esse unam ut veram profiteri. Mirum quoque foret, si Epicureus ullus iam antea de iisdem rebus omnibus, de quibus Lucretius, eadem quaesivisset, quorum numquam ne vestigium quidem servatum est. Quod si reputamus fortasse suspicabimur poetam alium quoque fontem adhibuisse ad alteram libri VI partem componendam, neque crimini ei dabimus, quod strenuus philosophi assecla non fuit, quamquam doctrinam suam ex placitorum de rebus naturalibus florilegio quodam sibi paravit.

Tale autem florilegium ei in manibus fuisse credo, cum Nili inundationis rationes explicaret, quarum Woltierus rursus pag. 153 contendit Epicurum fontem fuisse idque non ex alia causa, nisi quod Democritum de Nilo scripsisse ex Diodoro I, 39, Aetio (Dieles. doxogr.) IV, 1, 4, aliis manifestum est, cuius sententiam poeta in vv. 729—34 receperit. Quam Woltieri sententiam multum aberrasse a vero unusquisque videt. Miror enim, quod in omnibus literis antiquis huius Epicuri doctrinae nec vola nec vestigium. Lucretius sententias de inundationibus affert vv. 715—24 Thaletis, 724—29 anonymi, 729—35 Callisthenis, 735—38 Anaxagorae et aliorum. Cum iis consentit Pomponius Mela I, 53 (p. 18, 6 Parthey.), qui hoc ordine, Herodoti ratione adiecta, auctores affert: Anaxagoram, Herodotum, Callisthenem, Thaletem, anonymum. Vv. 715

—24 Thaletis sententiam apud Lucretium contineri doxographus IV, 1, 1 ostendit (et Diodorus I, 38, 85, et Seneca N. Q. IV, 2, 22), vv. 729—35 Callisthenis Athenaeus II, 87, vv. 735—37 Anaxagorae vel Euripidis doxographus IV, 1, 3 (et Diodorus l. l. et Seneca IV, 2, 17 et Athenaeus II, 87).

Cum poetae Romani auctoribus composui Pomponium Melam, qui idem causam incrementi praebet hanc, quod arena undis ante fluminis ostium accumulatur, quam nusquam aliter inveni. Cuius doctrinae quis auctor fuerit, nescio. Facile tamen adducor, ut credam auctorum, quos Dielesius in doxographorum proll. p. 229 Senecae libri IV fonti Posidonio stoico substituit, aliquem idem docuisse. Nam Lucretius in vv. 721 sqq.:

ille ex aestifera parti venit amnis ab austro,
inter nigra virum percocto saecla colore
exoriens penitus media ab regione diei

docet Nilum exoriri in ea regione, quae a Graecis ‚*διακεκαυμένη*' vocatur. Habitatam eam non esse Aristoteles contenderat in meteorol. II, 5 p. 363 a 13 sqq.: *ἐκεῖνος δ' ὁ τόπος* (sc. *ὁ διακεκαυμένος*) *διὰ τὴν τοῦ ἡλίου γειτνίασιν οὐκ ἔχει ὕδατα καὶ νομὰς, αἳ διὰ τὴν πῆξιν ποιήσουσιν ἐτησίας*, quam ob causam Posidonius eum et Parmenidem in fr. 68 vituperavit: regionem enim a physicis nobilibus ‚*διακεκαυμένη*' nominatam habitari, quia temperata esset. Equidem in verbis Lucretii ‚*nigra virum percocto saecla colore*' vestigium esse contendo doctrinae et eloquentiae Posidonii apud Strabonem II, 3, 7) (fr. 68, 7) *εὐερνεστέρους γὰρ εἶναι καὶ ἧττον ἕψεσθαι τῇ ξηρασίᾳ τοῦ περιέχοντος*, ex qua Seneca quoque hausit N. Q. IV, 2, 30: ‚*Aegyptum sol magis percoquit*'. Ad quam sententiam moveor, quia in v. 1109 eiusdem libri Lucretius eadem verba adhibuit ita ut Posidonius *συνενθουσιῶν ταῖς ὑπερβολαῖς* (Strabo p. 147 fr. 48 Müll.), et paullo ante in v. 1107 cecinit: ‚*et quod in Aegypto est, qua mundi claudicat axis*'. Hoc loco idem docet, quod Cleomedes de sublim. I, 42 sine dubio ex Posidonio sumpsit: *ἀλλὰ παρὰ μὲν Συηνίταις καὶ Αἰθίοψιν ἐλάχιστον φαίνεται τὸ τοῦ πόλου ὕψος, μέγιστον δὲ ἐν Βρεττανοῖς, ἐν δὲ τοῖς διὰ μέσου κλίμασιν ἀναλόγως* (cf.

Bake p. 53). Hoc sane certum est Lucretium voluisse torridam regionem habitatam esse, ut Posidonius voluit. De Epicuri sententia nihil scimus, sed credo, si quid ea de re reliquum esset, eum Aristotelis opinionem secutum esse manifestum fore. Porro cum fere eodem loco, quo de colore incolarum Aethiopum locutus est, Posidonius de Nili incremento cum Lucretio docuerit apud Strabonem II, 3, 3 p. 98 (fr. 68) *τοὺς δὲ πληροῦντας τὸν Νεῖλον ὄμβρους ἐκ τῶν Αἰθιοπικῶν ὀρῶν συμβαίνειν. ταῦτα δ' εἰπὼν ἐνταῦθα ἐν ἄλλοις συγχωρεῖ φήσας ὑπονοεῖν ὄρη εἶναι τὰ ὑπὸ τῷ ἰσημερινῷ πρὸς ἃ ἑκατέρωθεν ἀπὸ τῶν εὐκράτων ἀμφοῖν προσπίπτοντα τὰ νέφη ποιεῖν τοὺς ὄμβρους*, verisimile esse opinor Lucretium rationes suas non ex Epicuro sibi sumpsisse sed ex Posidonii libro *περὶ Ὠκεανοῦ*. Nihilo secius haud ignoro eum poetae auctorem fuisse hoc uno loco demonstrari non posse et ob eam rem etiam alias illius doctrinas stoico philosopho tribuere temptabo, ac primum quidem de versibus, quibus de terrae motibus agit (535—607), disseram.

Caput I.

De terrae motibus.

Vv. 535—42 Lucretius docet, quibus causis terrarum motus fiant. Inferior, inquit, et superior terra plena est speluncis et multos lacus multasque lucunas in gremio continet et rupes deruptaque saxa, multa quoque flumina sub tergo eius fluctus volvunt et saxa. His igitur rebus subiunctis suppositisque, et speluncis et rupibus et aqua, terra tremit, sive cum ingentes speluncae aetate subruunt (543—45) — hoc autem mirum non est, nam toti montes sub terra decidunt magnoque concussu eorum disserpunt inde tremores (546—47) — sive cum gleba ingens in magnas aquae lucunas subterraneas vetustate e terra provolvitur ita, ut eius superficies aquae fluctu iactata vacillet (552—54). Quas duas causas poeta exemplis amplius illustrat et, ut alterum praecipiam, in vv. 555—56 exponit, quomodo terra vacillet, aquae fluctu iactata:

ut vas interdum non quit constare, nisi umor
destitit in dubio fluctu iactarier intus.

Prius exemplum verbis ‚et merito' vv. 543—47 adiungit, et ait: ‚ut par est, terra tremit et late disserpunt inde tremores, ubi speluncae subterraneae et montes cadunt, quoniam non magno pondere plaustri concussae domus prope viam tremescunt, nec minus exultant, ubicumque viai *res aliqua* ferratos rotarum orbes utrimque succutit, quam terra tremuit montibus et antris decidentibus.' Consulto nihil aliud adhuc dixi quam ‚aliqua res orbes succutit' nam verba valde corrupta, quamquam plurimi sanare conati sunt, certo emendari nequeunt[4]. Traditum est in v. 550: *nec minus exultant es*

4) Coniecerunt Lambinus et Creechius: *ubi currus fortis equum vis,*

dupuis cumque vim, quod Lachmannus emendare conatus est hoc modo: ‚*et ubi lapi cumque viai*'. Tamen hac emendatione difficultas sublata non est. Iam in verbis ‚nec minus exultant' haeremus. Quid enim quo minus? Ego nihil aliud dicere possum atque subiectum esse ‚tecta', quae non minus exultant quam terra tremit in vv. 544 sqq. At si vocem domus substituimus, num stare potest ‚ubicunque viai' quia non ubicumque viai domus sunt? — Audio, sed si poeta antea de tectis propter viam locutus est, etiam vv. 550 sqq. tantum de via loqui potuit, iuxta quam domus positae sunt, praecipue cum in omnibus his versibus, de quibus agitur, modo unum exemplum exstet. Etiam alia dubitationem nobis movent, si Lachmannum sequimur. Primum enim duo exempla ex uno reddidit: ‚quod terra tremeret, mirum non esse, quoniam domus parvo pondere plaustri concussa vacillaret, nec minus exultaret quam terra, et iterum moveretur, ubicumque viai lapis ferratas utrimque rotas succuteret.' Tum profiteor me non intellegere, quo modo poeta dicere possit domum concuti pondere plaustri, nisi adiecerit plaustrum vehi. Quam ob rem vv. 550 sqq. motum carpenti significari, coniunctionemque ‚et' in verbo tradito ‚es' non latere arbitror. Denique Lachmanno fidem non habebimus, quod Susemihlio praeceptore illustrissimo monente constat, iam unum lapidem rotas utrimque i. e. ab utroque plaustri latere, succutere posse. Itaque verbis corruptis ‚es dupuis' — nam ‚cumque viai' certissime emendata sunt — aliquid inesse debet, quod rotam utramque priorem vel posteriorem offendat. Idem exemplum legimus apud Senecam N. Q. VI, 22, 1: ‚*Si quando magna onera per vices vehiculorum plurium tracta sunt, et rotae maiore nisu in salebras*

Bergkius (in Iahni annall. tom. 67 p. 327): *nec minus exultant rupis, ubicunque viai* ‖ *ferratos auriga rotarum succutit orbes*, quae coniectura ei ipsi non satisfacit. Christius (quaest. Lucr. Monachii 1855 p. 26): *exultant sedes, ubicunque viai.* Grasberger (de Lucr. carm. diss. Monachii 1856): *sedes ubiquicque viai.* Polle (philol. 25 p. 281): *onera umbo ubicumque.* Goebel (Quaest. Lucr. criticae Salisburgi 1857 p. 27); *exultant si qua vis cunque viai.* Munrous: *scrupus quicunque viai.* Bockemüllerus: *res dum vis usque viai.*

inciderunt, terram concuti senties.' Quae verba si consideraveris, et simillima esse Lucretianis et Lucretium tale quid vv. 548—51 expressisse fateberis. Rotae utrimque modo rima salebrave concuti possunt. Itaque, qui emendare vult, unum modo exemplum a poeta allatum et verbum quod Senecae salebris simile sit coniciendum esse concedet. Equidem proponam: ‚*nec minus exultant fissura ubicunque viai*' neque vero rarissimam esse vocem ‚fissura' celabo.

Hucusque igitur speluncas vel montes sive in solidum sive in aquam decidentes concussionis causas esse Lucretius demonstravit eadem ratione, qua Anaximenes apud Senecam N. Q. VI, 10, 1 [5]): ‚*Terram ipsam ait sibi esse causam motus nec extrinsecus incurrere, quod illam impellat, sed intra ipsam et ex ipsa. quasdam enim partes eius decidere, quas aut humor resolverit aut ignis exederit aut spiritus violentia excusserit.*' . . . . . Tum § 2: ‚*deinde cum ceciderunt (sc. partes terrae vetustate solutae) solido exceptae resiliunt more pilae, quae cum cecidit, exultat ac saepius pellitur, totiens a solo in novum impetum missa. Si vero in stagnantibus aquis delata sunt, hic ipse casus vicina concutit fluctu, quem subitum vastumque inlisum ex alto pondus eiecit.*'

Tertiam concussionum causam ventum esse voluit poeta, tribus generibus distinctis. In vv. 557—76 enim, ventus, inquit, qui per loca subcava terrae flat, in una parte collectus ex ea procumbit et obnixus magnas speluncas ita urget, ut terra in transversum concutiatur et tecta supra partem, in quam ventus ruit, collocata cum ea inclinata abeant in eundem prodita partem. Quin etiam trabes aedificiorum protractae impendent. Terra igitur vacillat ut navigium undis iactatum et incumbit, nisi venti respirant. Sin autem collecti redeunt ceduntque repulsi, retro recellit terra et recipit prolapsa suas in pondera sedes. Hanc doctrinam de terrarum motibus Aristotelicam esse et Theophrasteam patet ex Aetio III, 15, 5 et Seneca VI, 13, 1. Porro vv. 576—90 terrae motus tunc quoque oriri contendit, quando ventus aut extrinsecus insinuatus,

---

5) cf. etiam Aristotelis meteorol. II, 7, 365^b 6.

aut ipsa tellure coortus maxima cum vi in loca cava se coniecit et ibi aut fremens cum tumultu versatur, donec vis eius motu incita exagitata foras erumpitur et terram magno hiatu diffindit, aut (vv. 591—600) si non prorumpit neque satis impetus habet ad terram dirumpendam, per crebra eius foramina horrorem dispertit, ut corpus nostrum tremit, cum frigus in artus penetraverit. Qui horror postquam accidit, trepidant tecta et homines *metuunt, inferne cavernas*

terrai ne dissoluat natura repente,
neu distracta suum late dispandat hiatum
adque suis confusa velit complere ruinis.

Similia haec verba sunt iis, quibus Aetius III, 15, 4 Anaxagorae doctrinam exposuit: *ἀέρος ὑποδύσει τῇ μὲν πυκνότητι τῆς ἐπιφανείας προσπίπτοντος, τῷ δὲ ἔκκρισιν λαβεῖν μὴ δύνασθαι τρόμῳ τὸ περιέχον κραδαίνοντος.* Priorem Lucretii sententiam iam Aristoteles habuit in metereol. II, 8 p. 366 b, 32: *ἤδη γὰρ σεισμὸς ἐν τόποις τισὶ γινόμενος οὐ πρότερον ἔληξε, πρὶν ἐκρήξας εἰς τὸν ὑπὲρ γῆς τόπον φανερῶς ὥσπερ ἐκνεφίας ἐξῆλθεν ὁ κινήσας ἄνεμος,* et alii philosophi apud Senecam N. Q. VI, 14, 4 docuerunt.

Itaque ut in vv. 543—57 demonstratum est terram suam ipsius causam concussionis esse partibus eiusdem solutis, sic in vv. 557—607 poeta aliam rem, ventum, causam esse voluit. Hic ventus tribus rationibus movet: aut in terra collectus obnititur speluncis subterraneis et efficit, ut terrae pars vacillet velut navigium vento inclinatum, aut sub terra vagatus erumpit et hiatum facit, aut, si validus non est, modo horrorem incutit.

Quas causas unde sibi sumpsit poeta? Qua cum doctrina si Epicuri sententias de concussione terrae componimus, is qui poetam Romanum ex Epicuro tantum Epicureisque hausisse sua credit, valde mirabitur, quod similitudo mirum quantum exigua est. Haud ignoro quidem Epicurum XXXVII libros *περὶ φύσεως* scripsisse et in epistula at Pythoclem modo epitomen servatam esse, et eam, quae quin ab Epicuro facta esset, iam Philodemus dubitavit [6]), tamen in doctrina, quae

6) cf. voll. Herculanensium collectio altera I p. 152. Düning, de

pertinet ad terrae motus, ex doxographo Dielesii et Senecae Naturall. Quaestionibus accuratius decernere possumus, utrum Lucretius eum solum secutus sit necne. Hoc enim concedi necesse est iam dubium esse, num Lucretius magistri tantum libros adhibuerit, si eius doctrina cum Epicurea dissentiat, neque tamen cum alio philosopho eam consentire demonstrare etiam hodie possumus: sed si non solum alia atque Epicuri, sed etiam alius philosophi cuiusdam placitis similis est, verisimillimum esse confiteberis huius quoque librum in manibus Lucretii fuisse.

Nonne vero Seneca de Epicuro dicit VI, 20, 5: '*Omnes istas posse esse causas Epicurus ait pluresque alias temptat et alios, qui aliquid unum ex istis esse adfirmaverunt, corripit, cum sit arduum de his, quae coniectura sequenda sunt, aliquid certi promittere.*' Nonne igitur verisimile est Epicurum aliorum philosophorum sententias retractasse? Minime ex his verbis conicere licet scholae auctorem multo plures rationes concussionum terrae attulisse [7]), quam novimus ex Seneca aliisque fontibus, nam toto illo enunciato nihil aliud significare voluit nisi, quod saepius aiebat, ut apud Diogenem Laertium X, 113: *τὸ δὲ μίαν αἰτίαν τούτων ἀποδιδόναι, πλεοναχῶς τῶν φαινομένων ἐκκαλουμένων, μανικὸν καὶ οὐ καθηκόντως πραττόμενον ὑπὸ τῶν τὴν ματαίαν ἀστρολογίαν ἐζηλωκότων καὶ εἰς τὸ κενὸν αἰτίας τινῶν ἀποδιδόντων, ὅταν τὴν θείαν φύσιν μηδαμῇ λειτουργιῶν ἀπολύωσι*, et in § 114: *τὸ δὲ ἁπλῶς ἀποφαίνεσθαι περὶ τούτων καθῆκόν ἐστι τοῖς τερατεύεσθαί τι πρὸς τοὺς πολλοὺς βουλομένους*, quod etiam Lucretius VI 702—712 monet; immo philosophum Gargettium nonnullis rationibus et priorum et sui ipsius enumeratis, ut facere solebat, affirmasse: *καὶ κατ' ἄλλους δὲ τρόπους πλείους τὰς κινήσεις ταύτας τῆς γῆς γίνεσθαι*, apparet ex Diogene X, 106 et loco Senecae modo laudato. Ex his verbis permissum sibi esse poeta credere

---

Metrodori Epicurei vita et scriptis, Lipsiae 1870 p. 22. Herm. Diels doxographi. proll. p. 225.

7) Quod coniecit Woltierus p. 152, qui quomodo Epicurum de Aetnae quoque eruptione scripsisse sibi potuerit persuadere, equidem non intellego.

potuit, ut et alias quam magister causas afferret aliisque libris praeter Epicureos uteretur.

Videtur autem ille a Lucretiana valde diversam rationem de terrae motibus probasse, si quidem Senecae fidem habemus. Apud eum enim 20, 6 distinxit septem genera, quorum causae essent aqua spiritus, terra ipsa, et quia ‚*nullam illi placet causam motus esse maiorem quam spiritum*' de hoc maxime locutus est, sed prorsus alio modo atque discipulus. Neque enim quaesivit, qualem concussionem aqua efficeret, qualem spiritus vel terra ipsa, sed satis habuit aliquot placita in unum conspectum composuisse, ‚*Ergo, ut ait, potest terram commovere aqua, si partes aliquas eluit et abrasit, quibus desiit posse extenuatis sustineri, quod integris ferebatur*'; simillima neque tamen eadem est doctrina Anaximenis apud Aristot. meteorol. II, 7 p. 365 b et apud Senecam N. Q. VI, 10. Nam ille dixit, quasdam partes humore resolutas decidere et inde tremorem adferre superioribus, Epicurus, quod partibus sustentum esset, decidere, si aqua partes abrasisset. Tum pergit ‚*potest terram commovere impressio spiritus: fortasse enim aër alio intrante [aëre] agitatur*', Archelaum secutus, qui apud Senecam VI, 12, 1 docet: ‚*Venti in concava terrarum deferuntur: deinde ubi iam omnia spatia plena sunt, et in quantum aër potuit, densatus est, is qui supervenit spiritus priorem premit et elidit ac frequentibus plagis primo cogit, deinde perturbat. Tunc ille quaerens locum omnes angustias dimovet et claustra sua conatur effringere: sic evenit, ut terrae spiritu luctante et fugam quaerente moveantur.*' Tertiam causam Epicuri ‚*fortasse aliqua parte subito decidente percutitur* (*sc. aër*) *et inde motum capit*' priorum cuiquam philosophum tribuere nequeo, sed quarta Anaximenea est. Ille enim dicit: ‚*fortasse aliqua pars terrae velut columnis quibusdam ac pilis sustinetur, quibus vitiatis ac recedentibus tremit pondus impositum.*' De Anaximene tradidit Seneca VI, 10, 2: ‚*primum omnia vetustate labuntur, nec quicquam tutum a senectute est. haec solida quoque et magni roboris carpit. itaque quemadmodum in aedificiis veteribus quaedam non percussa tamen decidunt, cum plus ponderis habuere quam virium, ita in hoc universo terrae corpore*

evenit, ut partes eius vetustate solvantur, solutae cadant et tremorem superioribus adferant, primum dum abscedunt.'

Quae sequitur doctrina Epicuri, ‚*fortasse calida vis spiritus in ignem versa et fulmini similis cum magna strage obstantium fertur*', iam Anaxagorae placebat, qui apud Senecam VI, 9, 1 ait: ‚*simili paene ex causa et aëra concuti et terram, cum in inferiore parte spiritus crassum aëra et in nubes coactum eadem vi, qua apud nos quoque nubila frangi solent, rumpit et ignis ex hoc conlisu nubium cursuque elisi aëris emicuit. hic ipse in obvia incurrit exitum quaerens ac divellit repugnantia, donec per angusta aut nactus est viam exeundi ad coelum aut vi et iniuria fecit.'* In sexto deinde placito ‚*fortasse palustres et iacentes aquas aliquis flatus impellit et inde aut ictus terram quatit*' Democriti sententia ‚*spiritus vero nonnumquam impellit undas et si vehementius institit, eam scilicet partem terrae movet, in quam coactas aquas intulit*', refertur, sed quis ultimam causam ‚*aut spiritus agitatio ipso motu crescens et se incitans ab imo in summa usque perfertur*' ante Epicurum docuerit, iterum nescimus.

Quarum rationum quae cum Lucretianis consentit? Quarta cum Anaximenea Lucretii, quae est in vv. 544—47, et septima fortasse cum ea, quam discipulus exposuit in vv. 577—85. Tamen hoc certum non est. Anaximenis autem sententias iam ab Epicuro receptas esse ex quarta ratione huius apparet et ex Aëtio III, 15, 11 (p. 381 a 3 Diels): *Ἐπίκουρος ἐνδέχεσθαι μὲν ὑπὸ πάχους ἀέρος τοῦ ὑποκειμένου ὑδατώδους ὄντος ἀνακρουομένην αὐτὴν καὶ οἷον ὑποτυπτομένην κινεῖσθαι· ἐνδέχεσθαι δὲ καὶ σηραγγώδη τοῖς κατωτέρω μέρεσι καθεστῶσαν ὑπὸ τοῦ διασπειρομένου πνεύματος εἰς τὰς ἀντροειδεῖς κοιλότητας ἐμπίπτοντος σαλεύεσθαι.* Eorum enim placitorum prius Anaximeni valde simile est, alterum Lucretii vv. 557—76. Restat igitur, ut tantum versuum 590 sqq. fontem apud Epicurum quaeramus. De his autem nihil invenitur neque apud Senecam neque apud Aëtium neque apud Diogenem Laertium in epistula Epicuri ad Pythoclem. Sane dolendum est, quod ex ea paulum lucri facimus: tam obscura est, tantisque insuper vitiis librariorum inquinata. Legimus ibi in § 105:

σεισμοὺς ἐνδέχεται γίνεσθαι καὶ κατὰ πνεύματος ἐν τῇ γῇ ἀπόληψιν καὶ παρὰ μικροὺς ὄγκους αὐτῆς παράθεσιν καὶ συνεχῆ κίνησιν ὅταν κράδανσιν τῇ γῇ παρασκευάζῃ. i. e. terrae motum effici, si spiritus in terram receptus parvis eius atomis vicinus sit et perpetuo se moveat. Hoc spiritus motu etiam terrae atomos moveri tunc, cum ille terram quatiat et ‚κράδανσιν' faciat. Ea igitur verba, quibus Epicurus de concussione terrae agit, quae vento fiat sub terram recepto et iuxta atomos eius posito perpetuoque se movente, communes conditiones omnium vento effectarum concussionum significant. In sequentibus accuratiorem descriptionem exspectamus, unde ventus ortus sit. Id in iis, quae usque adhuc neque quisquam intellexit, neque ego certe emendare possum, expositum erat. Sed priusquam quae difficultates enuntiati ‚καὶ τὸ πνεῦμα τοῦτο ἢ ἔξωθεν ἐμπεριλαμβάνῃ ἐκ τοῦ πίπτειν εἰς ἐδάφη ἢ εἰς ἀντροειδεῖς τόπους τῆς γῆς ἐκ πνευμάτων τὸν πεπιλημένον ἀέρα', sint, docemus, quae sequuntur, intueamur. Epicurus pergit: κατὰ ταύτην δὲ τὴν διάδοσιν τῆς κινήσεως ἐκ τῶν πτώσεων ἐδαφῶν πολλῶν καὶ πάλιν ἀνταπόδοσιν, ὅταν πυκνώμασιν σφοδροτέροις τῆς γῆς ἀπαντήσῃ ἐνδέχεται σεισμοὺς ἀποτελεῖσθαι. Etiam haec intellegi possunt: hac enim distributione motus (sc. spiritus), lapsu fundamentorum multorum incitati et repercussu (sc. spiritus moti), cum firmioribus terrae partibus progredi prohibitus sit, terrae motus oritur. E verbis autem ‚κατὰ ταύτην δὲ τὴν διάδοσιν' elucet iam in antecedentibus de distributione spiritus aliquid expositum esse. Itaque non modo verbis illis obscuris doctum est, unde ventus ortus sit, sed etiam unde aër motum ceperit. Neque tamen haec ex illis intelleges. Primum enim obiectum deest verbo ἐμπεριλαμβάνῃ, quod etiamsi substituimus coniectura ventum terram complecti, tamen non verba ‚ἢ ἔξωθεν' et ‚ἢ εἰς ἀντροειδεῖς τόπους' opposita sunt, sed ‚ἐκ τοῦ πίπτειν εἰς ἐδάφη' e.q.s. et ‚εἰς ἀντροειδεῖς τόπους'. Si autem ‚ἢ ἔξωθεν' et ‚ἢ εἰς ἀντρ. τοπ.' recte servata esse statuimus, verbum regens accusativum τὸν πεπιλημένον ἀέρα desideratur. Deinde ‚ἐμπεριλαμβάνῃ' stare nequit, nam si a coniunctione ὅταν prioris enuntiati penderet, non tempus praesens efflagitatur sed aoristum, quia ventum,

priusquam concussionem efficit, iam terram complexum esse oportet. Non igitur recte Meibomius ‚ἐμπεριλαμβάνῃ' cum ‚παρασκευάζῃ' uno orationis tenore dicta esse sivit, immo gravius post hanc vocem interpungendum est. Servavit ille traditam scripturam ‚ἢ' ante ‚ἔξωθεν' deleto et ante ‚ἐκ τοῦ πίπτειν' posito, perperam, quia scribendum ei erat: ‚ἐκ τοῦ πίπτειν ἢ εἰς ἐδάφη ἢ εἰς ἀντρ. τοπ.' Certe enim requiritur verbum quod ‚ἐμπεριλαμβάνῃ' respondeat. Gassendius cum temptaret: *καὶ κατὰ τὸ πνεῦμα τοῦτο ἔξωθεν ἐμπεριλαμβάνειν ἐκ τοῦ πίπτειν εἰς ἐδάφη ἢ εἰς ἀντροειδεῖς τόπους τῆς γῆς τὸν ἤδη ὑπὸ πνευμάτων ἄλλων πεπιλημένον καὶ διὰ τοῦτο ὁρμητικόν τε καὶ κινητικὸν γενόμενον ἀέρα* (sc. complectitur) vero propius afuisse mihi videtur, sed audacius mutavit. Verissime Hermannus ‚ἐκ τοῦ πίπτειν ἐδάφῃ' coniecit, quia sequitur ‚ἐκ τῶν πτώσεων ἐδαφῶν πολλῶν', Kuehnius primus verbum desideravit, quod distributionem aëris significaret et ‚ἐκ πνευμάτων' in ‚ἐκπνευματοῖ' mutavit.

At omnes ad hoc tempus unum neglexerunt; rationem enim habere debemus latinae interpretationis Ambrosii — nam ex Aldobrandino nihil didici — qui vertit: ‚*hic ventus aut exteriore ex parte complectitur dum in fundamenta ruit aut in abstrusa speluncae in morem terrae loca densatus a ventis aër.*' Videtur igitur legisse ‚ὁ πεπιλημένος ἀήρ'. Quod iam antea dixi Epicurum loco corrupto docuisse, quomodo ventus sub terram receptus et aër subterraneus motus atque distributus esset, si verum est, respiciamus ad reliqua illius placita, quae exstant apud alios scriptores, num quae scire cupimus ex iis comperiamus. In v. autem 579 Lucretius docet vim maximam animae aut extrinsecus aut ipsa tellure coortam esse, cuius placiti prior pars sane in Epicuri sententia *καὶ τὸ πνεῦμα τοῦτο ἢ ἔξωθεν ἐμπεριλαμβάνῃ* latere apparet. Sed tunc scribendum est ‚ἐμπεριλαμβάνεται' et reliqua Epicuri verba apud Diogenem ita mutanda sunt, ut alteri parti doctrinae discipuli ‚aut ipsa tellure' respondeant, quam ob rem ex ultima vocis *ἐμπεριλαμβάνῃ* particula coniunctionem ‚ἢ' repetamus. Quomodo ventus sub terra oriatur, scimus ex tertio Epicuri placito, quod Seneca tradidit, scilicet aërem subterraneum

motum capere percussum aliqua parte subito decidente. Si recipimus certissimam Hermanni coniecturam ‚ἐκ τοῦ πίπτειν ἐδάφη', haec verba partem terrae subito decidentem significant, sed coniunctio ‚ἢ' ante ‚εἰς ἀντρ. τόπ.' omittenda est utpote ex dittographia orta. Fundamenta igitur in subcava loca decidunt, quid autem et unde moveatur nondum exstat. Senecae verbis iterum in auxilium vocatis contendo Ambrosium recte legisse ‚ὁ πεπιλημένος ἀήρ': aër sub terra densatus fundamentis in loca subcava decidentibus percutitur et inde motum capit. Haec verba ‚percutitur e.q.s.' in vocibus quae restant ‚ἐκ πνευμάτων' contineri credo neque dubito emendare in hunc modum ‚ἐκπνευματοῦται' [8]). Itaque Epicurus dixerit: ‚καὶ τὸ πνεῦμα τοῦτο ἢ ἔξωθεν ἐμπεριλαμβάνεται ἢ ἐκ τοῦ πίπτειν ἐδάφη εἰς ἀντροειδεῖς τόπους τῆς γῆς ἐκπνευματοῦται ὁ πεπιλημένος ἀήρ' Aristotelem secutus qui docuit meteorol. II, 4 p. 360 a 32 sqq.: ‚κινηθείη γὰρ ἂν πολὺ πλῆθος ἀέρος ὑπό τινος μεγάλης πτώσεως, οὐκ ἔχον ἀρχὴν οὐδὲ πηγήν.'

Nihilo minus non magnum lucrum fecimus ex loco Diogenis et hoc tantum ei debemus, quod accuratius exposuit, quomodo terram vento concussam esse Epicurus sibi finxisset.

Iam fere omnes praeter ultimam rationes Lucretii apud Epicurum locum habuisse demonstravimus. At altero auctore usum esse poetam in doctrina de terrae motibus exhibenda contendo! Mirum enim est, quod philosophus Atheniensis et aquam et spiritum et terram causas motuum esse arguit, et ignem ipsum, discipulus autem, si praetermittimus Anaximeneas doctrinas, quas iam ab auctore disciplinae receptas esse negari nequit, modo ventum causam esse voluit. Cur ignem omisit? Placuitne magistro ‚nullam aliam causam esse maiorem quam spiritum'? Sane, sed cur hanc distributionem concussionem fecit, inclinationem, hiatum, quasi horrorem, quamquam ille motus causas sine ordine composuit neque, quae genera iis efficerentur, perscrutatus est? Haec distinctio generum Lucretiana ex alio fonte (nempe ex Posidonio) hausta

8) cf. Diogen. X, 114: ‚καὶ παρὰ ἔκπτωσιν οὗ ἂν ἡ ἐκπνευμάτωσις γένηται.' ‚ἐκπνευματοῦται ὁ ἀήρ' Ps.-Arist. probl. p. 882 b 18 sq. 944 a 14.

esse mihi videtur. In vv. enim 585 sqq. laudatur terrae motus Sidone Syria factus, de quo Posidonium scripsisse ex Strabone I p. 58 C (fr. 76) constat. Legitur ibi: *ἐν δὲ τῇ Φοινίκῃ φησὶ Ποσειδώνιος γενομένου σεισμοῦ καταποθῆναι πόλιν ἱδρυμένην ὑπὲρ Σιδόνος, καὶ αὐτῆς δὲ Σιδόνος σχεδόν τι τὰ δύο μέρη πεσεῖν, ἀλλ' οὐκ ἀθρόως, ὥστε μὴ πολὺν φθόρον ἀνθρώπων γενέσθαι.* Idem commemorat Seneca N. Q. VI, 24, 6: ‚*idem Sidone accidisse Posidonio crede.*' Sed etiam concussionem Aegi factam ex eodem fonte Lucretius sibi petivit. Ea enim, quantum scio, modo ter in libris antiquis laudatur, nostro loco Lucretii, in Senecae N. Q. VI, 25, 4: ‚*Quid dicam, cum Chalcis tremuit, Thebas stetisse? cum laboravit Aegium tam propinquas illi Patras de motu nihil audisse? illa vasta concussio, quae duas suppressit urbes, Helicen et Burin, circa Aegium constitit.*' Tertius locus, quo prorsus alia concussio commemoratur, est apud Tacitum annall. IV, 13: ‚*factaque auctore eo* (sc. Tiberio) *senatus consulta, ut civitati Cibyraticae apud Asiam, Aegiensi apud Achaiam, motu terrae labefactis, subveniretur remissione tributi in triennium.*' De Senecae loco dubitari potest, utrum terrae motus qui Aegi evenit idem sit, qui Senecae aetate factus est, an is, quem Lucretius commemorat, vel ut alio modo loquar, utrum Seneca etiam hanc notitiam ex suo fonte sumpserit, an ipse adiecerit. Et re vera VI, 1, 13 concussiones quae aetate sua acciderunt, laudavit: ‚*Asia duodecim urbes simul perdidit* (quod anno 17 p. Chr. n. factum esse Tacitus in annall. II, 47 narrat)[9]) *anno priore in Achaiam et Macedoniam quaecunque est ista vis mali incurrit, quae nunc Campaniam laesit*'[10]). Nihilo secius cap. 25 Posidonianam eruditionem reddit; eum enim de hac re scripsisse perspicuum est ex Strabone I p. 60 C.

---

9) cf. Plinium N. H. II, 200: ‚*Maxumus terrae memoria mortalium exstitit motus Tiberi Caesaris principatu XII urbibus Asiae una nocte prostratis.*' Vide etiam quae Nipperdeius monuit ad Tac. annall. II, 47.

10) Haec concussio evenit [*Memmio*] *Regulo et Verginio* [*Rufo*] *coss. nonis Februariis* [Sen. VI, 1, 2] quos consules fuisse anni 63 p. Chr. Tacitus et chorographus anni 354 testantur. Eodem anno Seneca sextum librum N. Q. scripsit (VI, 1, 13).

Οἱ δὲ καὶ τὴν Λέσβον τῆς Ἴδης ἀπερρωγέναι πεπιστεύκασι, καθάπερ τὴν Προχύτην καὶ τὴν Πιθηκοῦσσαν τοῦ Μισηνοῦ, τὰς δὲ Καπρέας τοῦ Ἀθηναίου, τὴν Σικελίαν δὲ τῆς Ῥηγίνης, τὴν Ὄσσαν δὲ τοῦ Ὀλύμπου. γεγόνασι δὲ καὶ περὶ ταῦτα τοιαῦται μεταβολαί. καὶ ὁ Λάδων δὲ ὁ ἐν Ἀρκαδίᾳ ἐπέσχε ποτὲ τὸ ῥεῦμα. Δοῦρις δὲ τὰς Ῥάγας τὰς κατὰ Μηδίαν ὠνομάσθαι φησὶν ὑπὸ σεισμῶν ῥαγείσης τῆς περὶ τὰς Κασπίους πύλας γῆς, ὥστε ἀνατραπῆναι πόλεις συχνὰς καὶ κώμας καὶ ποταμοὺς ποικίλας μεταβολὰς δέξασθαι (fr. 25 Müll.).	*Si velis credere, aiunt aliquando Ossam Olympo cohaesisse, deinde terrarum motu recessisse et fissam unius magnitudinem montis in duas partes. tunc effugisse Peneon, qui paludes, quibus laboravit Thessalia, siccavit abductis in se quae sine exitu stagnaverant aquis. Ladon flumen inter Elin et Megalenpolin medius est, quem terrarum motus effudit.*

Strabonem vero Posidonium sequi efficitur Duridis mentione, quae non ex hoc, sed ex illo demum sumpta est. Fere eadem enim Posidonio laudato redeunt XI p. 514 C (fr. 77): *τοὔνομα δὲ ταῖς Ῥάγαις ἀπὸ τῶν γενομένων σεισμῶν γενέσθαι φασίν, ὑφ' ὧν πόλεις τε συχναὶ καὶ κῶμαι δισχίλιαι, ὡς Ποσειδώνιός φησιν, ἀνετράπησαν.* Cumque Duris historicus nostro solummodo loco a Strabone allatus sit, haud dubie eius libros non ipse legit, sed a Posidonio transtulit [11]). Praeterea Seneca in cap. 25 Helicen et Burin concussione suppressas esse ait, quarum calamitatem auctor eius sine dubio exposuit, cum eadem ab auctore libri de mundo in cap. IV p. 396 a 20 et a Plinio N. H. II, 206, quorum uterque ex Posidonio hausit, allata sit [12]). Neque errare mihi videor, si

11) Itaque non recte R. Gaedius (Demetrii Scepsii quae supersunt, diss. Gryphisw. 1880) p. 3 statuit: ‚hoc quidem loco Strabonem Scepsio ipso usum esse, neque quidquam obstat, quominus tota illa enumeratio quae a § 17 usque ad finem § 21 pertinet, ad hunc referatur, exceptis eis videlicet, quae in § 17 usque ad finem § 21 .... de suo geographus addit, atque exemplis eodem modo insertis in § 19 τὴν Λέσβην τῆς Ἴδης ... τὴν Ὄσσαν δὲ τοῦ Ὀλύμπου.' De Rhagis cf. Diodorum XIX, 44.

12) Ex Aristotele enim auctor libri de mundo et Plinius sua petere non poterant, nam etiamsi ille saepius hunc terrae motum commemorat, tamen nusquam nomen urbium tradidit, sed in meteor. I, 6 p. 343 b 2 modo de terrae motu in Achaia loquitur. Quae Plinius N. H. II, 192 de terrae

plurima quae in Senecae cap. 25 exstant, illi tribuo. Terrae motum, quo Chalcis tremuit, Seneca ex Asclepiodoto auditore Posidonii novit, ut ipse dixit in cap. 17; quare patet ea omnia quae in cap. 25 Posidoniana sunt, ex Asclepiodoti libro sumpta esse. Senecam enim non illum ipsum adhibuisse, sed auditorem eius, paullo post magis elucebit.

In Lucretii vv. 585 sqq. et de Sidone et de Aegi aliarumque urbium idem contendere licet, nam vv. 588—91 ab eo cladem Helices et Burae tangi verisimile est [13]). Quaestio autem est, num aliud ex eodem fonte manaverit.

Iam antea v. 550 ex Seneca VI, 22, 1 emendare conatus sum. Lucretii versus autem utut emendantur, nemo Senecae simillimos esse negabit eamque similitudinem intellegi posse, si conicimus utrumque auctorem eodem fonte, Posidonii libro, esse usum.

Sed hoc etiam alia re accuratius demonstrari potest. Redeamus ad distributionem motuum Lucretianam. Antea vidimus poetam distinxisse tria genera eorum, qui vento facti sunt, inclinationem vel nutationem, hiatum, horrorem, id quod Epicurus non fecerat. Similem distinctionem Posidonii laudavit Diogenes Laertius VII, 154: *τοὺς σεισμοὺς δὲ γίνεσθαι,*

---

concussionibus habet, fere omnia ex Arist. met. II, 8 exscripsit, tamen verba eius § 197: *minus quatiuntur crebris ad eluviem cuniculis cavata, multoque sunt tutiora in iisdem illis quae pendent* e.q.s. non consentiunt cum Aristotelicis p. 366a 23 sqq.: ἔτι δὲ περὶ τόπους τοιούτους οἱ ἰσχυρότατοι γίνονται τῶν σεισμῶν, ὅπου ἡ θάλαττα ῥοώδης ἢ ἡ χώρα σομφὴ καὶ ὕπαντρος, sed multo magis cum Callisthenis placito apud Senecam VI, 26, 4: *ideo stabilem videri vult* (sc. Delum), *quia mari imposita sit habeatque concavas rupes et saxa pervia, quae dent deprehenso aeri reditum. Ob hoc et insulas esse certioris soli urbesque eo tutiores, quo propius ad mare accesserunt.* Neque vero Callisthenem Plinius in indice laudat.

13) Falso Munrous contendit Lucretium Aegium, quae urbs cum Helice et Bura uno tempore eversa esset, attulisse, quod sua aetate clarior fuisset, quam illae et Callisthenis libros legisse, quem Seneca 23, 4 testis est de Helice et Bura scripsisse. Aegium non eodem tempore quo aliae urbes eversam esse, iam ex Senecae verbis sequitur et ex Diodoro XV, 48: ἐγένετο δὲ τοῦτο τὸ πάθος τῆς Ἀχαΐας περὶ δύο πόλεις, Ἑλίκην τε καὶ Βοῦραν, κ.τ.λ. Callisthenem de Aegio scripsisse nemo demonstrare potest.

πνεύματος εἰς τὰ κοιλώματα τῆς γῆς εἰσδύοντος ἢ καθειρχθέντος πνεύματος ἐν τῇ γῇ, καθά φησι Ποσειδώνιος ἐν τῇ η'. εἶναι δ' αὐτῶν τοὺς μὲν σεισματίας, τοὺς δὲ χασματίας, τοὺς δὲ κλιματίας, τοὺς δὲ βρασματίας [14]).

At Seneca in cap. 21, 2 ex Posidonio duo modo genera concussionis affert ‚succussionem, *cum terra quatitur et sursum ac deorsum movetur*, et inclinationem, *qua in latera nutat navigii more.*' Praeterea adicit: ‚*ego et tertium illud existimo, quod nostro vocabulo signatum est. non enim sine causa tremorem terrae dixere maiores, qui utrique dissimilis est. Nam nec succutiuntur tunc omnia nec inclinantur, sed vibrantur.*' Hac differentia probatur aut Senecam eam distributionem, ut totum librum, non ex Posidonio ipso sumpsisse, sed ex Asclepiodoto, qui ipse magistri libris usus est, et in capp. 17 et 22 libri VI laudatur, aut Posidonium diversis locis diversa ratione terrae motus distribuisse. Quamquam autem eum in duobus scriptis de concussionibus egisse inde verisimile fit, quod Strabo sua de Sidone ex libro *περὶ Ὠκεανοῦ* sumpsit, Diogenes octavum metereologicorum laudavit [15]), tamen Asclepiodotum auctorem Senecae fuisse cum Hermanno Diels [16]) arbitror. Sed Asclepiodotus quatuor quidem genera concussionum, quae magister esse voluit, in duo coniunxit, tamen plurima ex eo integra petivit. Rupes in subiacentem cavernam cadentes causas esse tremoris terrae narravit apud Senecam cap. 22 et spiritum causam hiatus cap. 17. Hac in causa terrae motum, quo Chalcis laboravit, commemorasse videtur ceterasque concussiones, quas Seneca in cap. 25 attulit, ubi idem genus est, quod in cap. 17 tantum accuratius explicatur, et iterum Chalcis laudatur. Asclepiodotum autem Posidonianam doctrinam diligenter ret-

---

14) Verba ante εἰς τὰ κοιλώματα desunt in libris mscrptt., sed verissime suppleta sunt a Menagio ex Suida s. v. σεισμός. pro ‚κλιματίας' traditum est ‚καυματίας', quod intellegi nequit, vel ‚κυματίας' quod idem significat atque ‚κλιματίας'. Quam ob causam Bakius legere voluerit: Ποσειδώνιος ἐν τῇ μετεωρολογικῇ, nescio.

15) cf. Scheppig, de Posid. Apameensi rerum, gentium, terrarum scriptore, diss. Halae 1869. Müller, ad fragm. 77.

16) Prolegg. doxograph. p. 19.

tulisse inde colligo, quod eius divisio mihi etiam apud Senecam videtur perspici posse. Is enim cap. 22 de succussione egit, de motu quatiente, cui Posidonii ‚βρασματίαν' similem esse auctor libri de mundo IV p. 395 b 36 sqq. ostendit: *Τῶν δὲ σεισμῶν οἱ μὲν εἰς πλάγια σείοντες κατ' ὀξείας γωνίας ἐπικλίνται καλοῦνται, οἱ δὲ ἄνω ῥιπτοῦντες καὶ κάτω κατ' ὀρθὰς γωνίας βράσται, οἱ δὲ συνιζήσεις ποιοῦντες εἰς τὰ κοῖλα χασματίαι. οἱ δὲ χάσματα ἀνοίγοντες καὶ γῆν ἀναρρηγνύντες ῥῆκται καλοῦνται.* Tum in cap. 23 ad alteram inclinationis causam transit et cap. 24, 3 horrorem tractat, quem ipse tremorem, Posidonius *σεισματίαν* appellant. Hoc etiam constat ex auctoris de mundo quem supra significavi loco: *οἱ δὲ ἀναπάλλοντες καὶ ταῖς εἰς ἑκάτερον ἐγκλίσεσι καὶ ἀναπάλσεσι διορθοῦντες ἀεὶ τὸ σειόμενον παλματίαι λέγονται, τρόμῳ πάθος ὅμοιον ἀπεργαζόμενοι.*

Senecam autem accuratissime fontem suum secutum esse nemo negabit, qui reputaverit eum, quamquam in cap. 21, 2 tertium genus adicit, nusquam dicere se ad id transire velle, sed illius prorsus esse oblitum. Succussione enim et terrae horrore explicatis in cap. 24, 5 de hiatu, in cap. 25 et de inclinatione et de hiatu nonnulla exposuit. Quod si verum est, Seneca re vera quatuor genera in fonte suo descripta legit, quamvis auctor Posidonianam distributionem non probaret.

At Lucretius tria genera attulit, inclinationem, hiatum, horrorem, ille quatuor! Ut causam huius rei intellegamus, exponam, quomodo mihi fingam Lucretium commotum esse ad Stoici illius libros in usum suum vertendos. Poeta cum de terrae motibus scripsit, sibi persuasit Epicuri et Posidonii rationes valde similes esse. Nam Anaximeneas doctrinas et ipse vv. 543—47 et 552—56 reddidit et Epicurus apud Senecam cap. 20 et Posidonius apud Asclepiodotum in Senecae cap. 22, 2. Qua Lucretius vv. 557—67 inclinationem fieri voluit, eandem causam terrae motus Epicurus ostendit apud Aëtium III, 15, 11, Seneca cap. 25, Posidonii ‚κλιματίαν' describens; de hiatu Lucretii (vv. 577—84) magister, etsi, qualia genera ventus effecisset, non vidit, fortasse apud Senecam (cap. 20, 7 inde a

verbis: ‚*aut spiritus agitatio*' e.q.s.) et Posidonius, qui hiatum ‚*χασματίαν*' appellavit, in cap. 25 dixerunt.

Quidni igitur Epicuream doctrinam aliunde illustrarit? Ita Anaximenis verba Posidoniano exemplo de plaustro magis perspicua fecit, ita vv. 568 sqq. noxam inclinationis exposuit, de qua Seneca ex Posidonio refert cap. 21, 2: ‚*res minime in huiusmodi casu noxia, sicut longe perniciosior est inclinatio concussione. nam nisi celeriter ex altera parte properaverit motus, qui inclinata restituat, ruina necessario sequitur*'[17]). Sic etiam cum sciret, spiritu nullam maiorem causam esse secundum Epicurum, Anaximenis sententiis magistri auctoritate praemissis, solum spiritum motus auctorem fecit, sed quae genera Posidonius ad ventum rettulit, inclinationem (*κλιματίαν*), hiatum (*χασματίαν*) horrorem (*σεισματίαν*) — primum enim genus *βρασματίαν*, ut Seneca cap. 22 docet rupes decidentes effecisse, stoicus ille philosophus opinatus esse videtur — his Epicuri doctrinam moderatus est. Ob eam rem exempla ex Posidonio de Sidone, Aegio, cetera attulit et fortasse de horrore omnia hausit. Sane Seneca 24, 4 ait: ‚„*Immo, inquis, ceu cum frigore inhorruimus, tremor sequitur, sic terras quoque spiritus extrinsecus accidens quassat.*" *quod nullo modo potest fieri. algere enim debet, ut idem illi accidat quod nobis, quos externa causa in horrorem agit. accidere autem terrae simile quiddam nostrae adfectioni, sed non ex simili causa concesserim. Illam interior et altior iniuria debet impellere: cuius rei argumentum vel maximum hoc potest esse, quod cum vehementi motu adapertum ingenti ruina solum est, totas nonnumquam urbes et recipit hiatus ille et abscondit ..... idem Sidone accidisse Posidonio crede!*[18])

Tum inclinationis et hiatus causae explicantur. Videlicet horror et hiatus etiam apud Senecam coniuncti sunt. Meo

---

17) Similia profert Plinius II, 198, ubi Aristotelis meteor. II, 8 non adhibuit, quamquam antea et postea eius libro semper utitur.

18) Terrae simile aliquid evenire atque corpori humano iam Aristoteles docuit meteor. II, 8 p. 366 b 15 sqq. et Seneca VI, 14, 2. Concussionem in directam et in transversam plagam fieri voluit idem (meteor. II, 8 p. 368 b 23 sqq.) ex maiore vel minore vento in terra condito.

igitur iure statuisse mihi videor Lucretium praeter Epicurum in doctrina de terrae motibus exponenda altero quoque auctore, Posidonio, usum esse [19]), neque tamen magistri rationes valde mutasse.

Sed etiam alia vestigia latent Posidonianae eruditionis.

---

19) In eandem suspicionem iam incidit Nehring ‚die geologischen anschauungen des philosoph. Seneca', Wolfenbüttel progr. 1873 pag. 18.

Caput II.

De paradoxis.

Etiam de rebus mirandis Posidonium multa docuisse credo, et quamquam pauca diserte ei tribuuntur, tamen liber eius, in quo ea tractavit, restitui potest ex Strabone, Seneca, Plinio. Neque autem contendo Posidonium talem, quam Antigonus Carystius ceterique qui aetatem tulerunt paradoxographi, epitomen scripsisse, in qua nihil aliud quam mirabiles auscultationes enumeravit, sed eius paradoxa in libris meteorologicis exstabant, ut Senecae in libro III Naturalium Quaestionum, vel in libris *περὶ Ὠκεανοῦ*, et ea attulit, ut quod de terrae motibus aliisque rebus exponere voluit, accuratius demonstraret.

Et eundem Lucretii auctorem fuisse demonstrabo. Nam cum fontem Dodonaeum describat poeta, in vv. 890 sqq. libri VI haec canit:

> *quod genus endo marist Aradi fons, dulcis aquai*
> *qui scatit et salsas circum se dimovet undas:*
> *et multis aliis praebet regionibus aequor*
> *utilitatem opportunam sitientibu' nautis,*
> *quod dulcis inter salsas intervomit undas.*

Quibus in versibus eadem ratione de Aradi fonte locutus est, qua Strabo XVI p. 753 C: *Ἐν δὲ τοῖς πολέμοις ἐκ τοῦ πόρου μικρὸν πρὸ τῆς πόλεως ὑδρεύονται, πηγὴν ἔχοντος ἀφθόνου ὕδατος.* sequitur deinde descriptio aquationis, tum pergit auctor: *τὸ μὲν οὖν πρῶτον ἀναθλιβὲν τὸ τῆς θαλάττης ἐστί· περιμείναντες δὲ τὴν τοῦ καθαροῦ καὶ ποτίμου ὕδατος ῥύσιν, ὑπολαμβάνουσιν εἰς ἀγγεῖα παρεσκευασμένα, ὅσον ἂν δέῃ, καὶ πορθμεύουσιν εἰς τὴν πόλιν.*

Totam explicationem Posidonii esse, ideo mihi persuasi, et quod saepius in huius libri capite II is auctor fere solus commemoratur — nam praeter illius nomen Artemidorus et Plato et Eratosthenes modo semel unusquisque nominantur, quorum primi verba p. 760 cum eiusdem doctrina, quam Strabo p. 670 attulit, non consentiunt — et quod Apameensis huius rei gravissimus testis fuit: sed etiam certius fit, si illam cum Plinii verbis N. H. II, 227: *Nam dulcis haustus in mari plurimis locis ut ad Chelidonias insulas et Aradum et in Gaditano oceano* comparamus. Eundem Aradi fontem Plinius iterum describit N. H. V, 128, ubi Mucianus quem sequitur ex Posidonio hausisse videtur.

Nam paradoxa II, 227 ex hoc manaverunt. Conferentes enim cum capite 103 Pliniani libri Senecae verba, quae exstant in libro III tantam similitudinem inveniemus, quanta ut efficiatur modo fieri potest, si uterque eundem auctorem secutus est. Non nego equidem Senecam saepius Ovidium laudasse in rebus quae cum Plinio consentiunt in cap. 20 et 26, et in cap. 25 de insula ad Cutilias natante ipse testis oculatus est. Praeterea Ovidius in met. XV, 273 sqq. de Lyco et Erasino idem narrat quod Plinius II, 225, de Ammonis fonte vv. 309 sq. idem quod Plinius § 228, de Lyncestio amni vv. 329 sqq. idem quod hic in § 230; sed dubium non est, quin hoc loco neque Seneca neque Plinius Ovidii librum adhibuerint (nam hic de Athamanum gente nihil scivit et fabulam de Ciconum flumine aliam reddidit), neque ex eodem fonte, quo ille[20]), hauserint, quia illi multa praebent, quo-

20) Quis Ovidii paradoxorum in met. XV, 273—417 fuerit auctor, ignoro. Postquam de quatuor elementis locutus est et docuit ea semper mutari et modo summam rerum constare, quamvis singulae res perirent atque orirentur, Lycum commemorat et Erasinum (vv. 272—76) Caicum, Amenanum (277—80), Anigrum, Hypanim (281—6). Tum quae antea insulae essent, Antissam, Pharum, Tyrum (286—8), quae cum continente coniunctae essent, Leucada, Zancle (289—92) memorat. In vv. 292—308 de terrae motibus eandem causam narrat, quam Lucretius vv. 576—90 et Seneca VI, 25 dicunt, et transit vv. 308—12 ad fontem Hammonis et apud Athamanes situm. Deinde aquas ‚medicatas' affert, flumen Ciconum, Crathim et Sybarin, Salmacis undas, Aethiopes lacus, Clitorium fontem, Lynceium

rum apud hunc nec vola nec vestigium. Praeterea Ovidius de Crathi Sybarique vv. 315 sqq. sibi petivit eadem quae Plinius de Crathi ex Theophrasto novit XXXI, 13, et in vv. 322 sqq. cum illius § 16 libri XXXI consentit. Itaque in libri II fonte ille haec non invenit, neque eodem auctore uterque usus est. At magna est similitudo inter eos! Sane mirum esset, si in tanta paradoxographorum multitudine non saepius idem apud diversos auctores legeretur. Etiamsi autem Seneca interdum Ovidii versus attulit, tamen, quod iis docet, in communi sui ipsius et Plinii fonte narratum esse ex summa aliarum rerum similitudine apparet. Seneca enim, cum de Ciconum flumine, de Lyncesti amni, de Lyco et Erasino aliquid in fonte suo legeret, versuum Ovidianorum, qui ea aetate notissimi erant, recordatus est et ad ornandum librum suum non auctoris verba sed Ovidii versus exscripsit, quibus quod ille

---

amnem, Pheneum lacum (313—36). Denique de Ortygia loquitur., de Symplegadibus, de Aetna (336—55).

Qua in parte poeta stoico auctore usus esse videtur. Primum enim quatuor elementa affert, quorum quidque in alium transeat (vv. 250 sq.), ut Diogenes Laertius VII, 147 et Seneca N. Q. III, 10; deinde etiam verba Ovidii '*sive est animal tellus*' stoicam doctrinam redolent. Fabula de Anigro flumine invenitur etiam apud Strabonem VIII p. 346 sqq. et Pausaniam V, 5, 5. Quae narravit de Lyco, Erasino, Antissa, Pharo, Tyro, Leucade, Helice et Bura, de fonte Hammonis et Dodonaeo, de Ciconum flumine, Lynceio amni, Pheneo lacu cum Plinii II §§ 201, 4, 5, 6, 25, 26, 28, 30, 31 consentiunt, accuratius tamen fabula de fonte Dodonaeo et lacu Pheneo cum Callimacho apud Antig. Car. 148, 158; cum eo etiam quod poeta docuit de Crathi, Callimachus ap. eundem 134, de Aethiopibus lacubus idem ap. eund. 145, de Lynceio amni idem ap. eund. 164. Fere omnia inter Ovidium et Antigonum communia etiam in Pseudo-Sotione (§§ 11, 44, 17, 24, 20) inveniuntur.

In altera parte Ovidius de hominibus ceterisque animalibus in aliam speciem mutatis multa disseruit. In quibus mirum quantum similes sunt fabulae de origine apium (vv. 364—67) crabronum (368) anguium (389—90) chamaeleonte (410—12) cum Antigono Carystio 19, 89, 25; de apium origine etiam Varro idem narravit r. r. III, 16, de origine scorpionum (369—71) Plinius N. H. 9, 99, de catulis ursae (378—81) 8, 126, de anguibus (389—90) 10, 188, de phoenice (390—407) 10, 3 (Mamilius senator laudatur), de hyaenis (408—10) 8, 105, de chamaeleonte 8, 122, de curalio (416—17) 32, 22.

exponere voluit, splendidissime narratum erat [21]. Idem statuendum erit de insula ad Cutilias natante. Quidni Seneca, quando hanc descriptam legit, se eam ipsum vidisse commemorarit et fontis auctoritatem firmarit? [22])

Ut comperiamus, quis Senecae et Plinii auctor fuerit, componamus in unum ordinem quae inter illius librum III Nat. Qu. et huius caput 103 libri II similia sunt.

Plinius II.	**Seneca III.**
§ 226 *In Ciconum flumine . . . . lignum deiectum lapideo cortice obducitur.*	cap. 20, 3. *Flumen habent Cicones,* *quod potum saxea reddit* *Viscera, quod tactis inducit* *marmora rebus.* *Medicatum est et eius naturae habet limum, ut corporibus se adglutinet et obduret.* *Quemadmodum Puteolanus pulvis si aquam attigit, saxumest, sic e contrario haec aqua, si solidum tetigit, haeret et adfigitur. In deest quod res abiectae in eundem lacum lapideae*
226 *Similiter in flumine Silaro ultra Surrentum non virgulta modo immersa verum et folia lapidescunt alias salubri potu eius aquae* [23].	*subinde extrahuntur, quod in Italia quibusdam in locis evenit. Sive virgam vel frondem demerseris, lapidem post dies paucos extrahis.*
230 *Lyncestis aqua quae vocatur acidula vini modo temulentos facit* [24].	5. *Similem vim habent mero sed vehementiorem. . . . . Hoc habet mali* *Lynceius amnis,* *quem quicunque parum moderato gutture traxit,* *haud aliter titubat, quam si mera vina bibisset.*

21) Senecam versus Ovidii memoria tenuisse neque eius carmina evolvisse, ut illos afferret, ex Natur. Quaest. IV, 4, 2 apparere videtur, ubi Ovidius pro Tibullo laudatur.

22) Levis momenti esse, quod Seneca se ipse testem dicit, etiam Val. Rose contendit, anecd. Graeca I p. 10 adn.

23) De Strabonis [V p. 251: ἐφ' οὗ (sc. Σιλάριδος ποταμοῦ) τοῦτ' ἴδιον ἱστοροῦσι περὶ τοῦ ὕδατος ὄντος ποτίμου (traditum est: τοῦ ὄντος ποταμοῦ, emendavit Kramerus) τὸ καθιέμενον εἰς αὐτὸ φυτὸν ἀπολιθοῦσθαι φυλάττον τὴν χρόαν καὶ τὴν μορφήν] fonte postea disputabo.

24) cf. Aristot. meteor. II, 3 p. 359 b 17 sq.: ἔστι δὲ καὶ περὶ Λύγκον κρήνη τις ὕδατος ὀξέος.

Plinius II.

207 *Spiritus letales aliubi volucribus tantum, ut Soracte vicino urbi tractu, aliubi praeter hominem ceteris animantibus, nonnumquam et homini, ut in Sinuessano agro et Puteolano spiracula vocant, alii Charonea, scrobis mortiferum spiritum exhalantis.*

231 *Iuxta Nonacrim in Arcadia Styx nec odore differens nec colore epota illico necat.*

230 *In Boeotia amnis Melas oves nigras, Cephisus ex eodem lacu profluens albas,* (sc. facit)

230 *rursus nigras Penius.*

Seneca III.

cap. 21. *In quosdam specus qui despexere moriuntur. tam velox malum est, ut transvolantes aves deiciat. . . . Quod si remissior fuit aëris et loci pestis ipsa quoque temperatior noxa nihil amplius quam temptat nervos velut ebrietate torpentes.*

25. *Quaedam aquae mortiferae sunt nec odore notabiles nec sapore. Circa Nonacrim in Arcadia Styx appellata ab incolis advenas fallit, quia non facie non odore suspecta est.*

2. *Est autem noxia aqua in Thessalia circa Tempe quam et fera et pecus omne devitat. per ferrum et aes exit: tanta vis est illi etiam dura mordendi. nec arbusta quidem ulla alit et herbas necat.*

3. *Quibusdam fluminibus vis inest mira. alia enim sunt quae pota inficiunt greges ovium et intra certum tempus quae fuerunt nigrae albam ferunt lanam, quae albae venerant nigrae abeunt. Hoc in Boeotia amnes duo efficiunt, quorum alteri ab effectu Melas nomen est: utrique ex eodem lacu exeunt diversa facturi.*

4. *In Macedonia quoque, ut ait Theophrastus, amnis est, ad quem qui facere oves albas voluerint adducunt. quem ut diutius potavere, non aliter quam infectae mutantur. At si illis opus fuit lana pulla, paratus gratuitus infector est: ad Peneion eundem gregem adpellant.*

Auctores novos habeo . . . . .

5. *Quosdam lacus esse, qui nandi imperitos ferant, notum est: erat in Sicilia est et adhuc in Syria stagnum in quo natant lateres et mergi proiecta non possunt, licet graviora sint. . . . .*

7. *sic evenit, ut in quibusdam stagnis*

Plinius II.

209 *Quaedam insulae semper fluctuant, sicut in agro Caecubo et eodem Reatino, Mutinensi, Statoniensi, in Vadimonis lacu, ad Cutilias aquas opaca silva, quae nunquam die ac nocte eodem loco visitur, in Lydia quae vocantur Calaminae non ventis solum sed etiam contis quo libeat impulsae, multorum civium Mithridatico bello salus*[25].

229 *et in Delo insula Inopus fons eodem quo Nilus modo ac pariter cum eo decrescit augeturque.*

225 *Quidam vero odio maris ipsa subeunt vada, sicut Arethusa fons Syracusanus, in quo redduntur iacta in Alpheum, qui per Olympiam fluens Peloponnesiaco litori infunditur. Subeunt terras rursusque redduntur Lycus in Asia, Erasinus in Argolica, Tigris in Mesopotamia, et quae in Aesculapi fonte Athenis*

Seneca III.

ne lapides quidem pessum eant. de solidis quidem ac duris loquor. sunt enim multi pumicosi et leves, ex quibus quae constant insulae in Lydia natant. [Theophrastus est auctor.] Ipse ad Cutilias natantem insulam vidi. et alia in Vadimonis lacu vehitur, alia in lacu Statoniensi est. Cutiliarum insula arbores habet et herbas nutrit: tamen aqua sustinetur et in hanc atque illam partem non vento tantum sed aura compellitur, nec umquam illi per diem ac noctem uno loco statio est: adeo movetur levi flatu.

11. *Quorundam causa non potest reddi: quare aqua Nilotica fecundiores feminas faciat . . . .*

quare quaedam in Lycia aquae conceptum feminarum custodiant, quas solent petere, quibus parum tenax vulva est . . . .

Creditum est quasdam aquas scabiem afferre corporibus, quasdam vitiliginem et foedam ex albo varietatem, sive infusa sive pota sit.

26. *Aestate quaedam flumina augentur, ut Nilus, cuius alias ratio reddetur. Theophrastus est auctor in Ponto quoque quosdam amnes crescere tempore aestivo . . . . .*

3. *Quaedam flumina palam in aliquem specum decidunt et sic ex oculis auferuntur, quaedam consumuntur paullatim et intercidunt. eadem ex intervallo revertuntur recipiuntque, et nomen et cursum . . . , . .*

4. *Sic ubi terreno Lycus est potatus hiatu,*
exsistit procul hinc alioque renascitur ore.
Sic modo combibitur, tacito modo gurgite lapsus
redditur Argolicis ingens Erasinus in undis.

Idem et in Oriente Tigris facit: ab-

25) Narratio de insulis ad Cutilias et in Vadimonio lacu sitis invenitur etiam in Ps.-Sotionis, sive Isigoni, fragmtt. 37. 38 auctore non allato, et apud Plinium III, 12, 109: *in agro Reatino Cutiliae lacum, in quo fluctuetur insula, Italiae umbilicum esse, M. Varro tradit.*

Plinius II.

mersa sunt, in Phalerico redduntur. et in A t i n a t e c a m p o f l u v i u s *mersus post XX M. pass. exit, et* i n A q u i l e i e n s i T i m a v o s.

220 *Omnia plenilunio maria purgantur, quaedam et stato tempore.* C i r c a M e s s a n a m e t M y l a s *fimo similia exspuuntur in litus purgamenta, unde fabula Solis boves ibi stabulari.*

Seneca III.

sorbetur et desideratus diu tandem e longe remoto loco, non tamen dubius an idem sit, emergit. Quidam fontes certo tempore purgamenta eiectant ut A r e t h u s a *in Sicilia quinta quaque aestate per Olympia. inde opinio est* A l p h e o n *ex Achaia eo usque penetrare et agere sub mare cursum nec ante quam in Syracusano litore emergere.*

6. *Est in* C h e r s o n n e s o R h o d i o r u m f o n s, *qui post magnum intervallum temporis foeda quaedam turbinibus ex intimo fundat, donec liberatus eliquatusque est. Hoc quibusdam locis fontes faciunt, ut non tantum lutum sed folia testasque et quicquid putre iacuit expellant. ubique autem facit mare, cuius haec natura est, ut omne immundum stercorosumque litoribus impingat. quaedam vero partes maris id certis temporibus faciunt, ut* c i r c a M e s s a n a m e t M y l a s *fimo quiddam simile turbulentis aquis mare profert fervetque et exaestuat non sine odore foedo. unde illic stabulari boves Solis fabula est. Sed difficilis ratio est quorundam, utique ubi tempus eius rei de qua quaeritur inobservatum vel incertum est . . . .*

8. *Mare vero cadavera stramentaque et naufragorum reliqua similia ex intimo trahit nec tantum tempestate fluctuque, sed tranquillum quoque placidumque purgatur.*

Ex hoc conspectu Plinii et Senecae verborum elucet illum in libro II et hunc in libro III ad eundem fontem redire. Si quis autem contendit illum huius librum adhibuisse ad sua conscribenda, sed eum in auctorum indice omisisse, (ut etiam in libb. XVI, XXXI, XXXIII, XXXV, XXXVI Plinius Vitruvii libris usus, tamen auctoris nomen in indice libb. XXXI et XXXIII reticuit)[26]), errat, nam eius verba Senecae simillima ex hoc sumpta esse nequeunt, quia hic nomen Cephisi fluminis et insularum Lydiae, Calaminarum, non attulit neque salutis multorum civium in bello Mithridatico meminit.

---

26) Detlefsenus haec mihi probavit in Philol. 31 pag. 385 sqq.

Sed quamquam easdem unius auctoris narratiunculas referunt, Seneca et Plinius ex eodem libro hausisse nequeunt, nam mirum esset illum multis locis Theophrastum laudavisse, hunc nunquam in libro II, saepius in libro XXXI. Iam Senecae locos commemoravimus hosce:

Plinius XXXI.	**Seneca III.**
§ 28. *aliter circa Thessalica Tempe, quoniam omnibus terrori est, traduntque aena etiam ac ferrum erodi illa aqua. profluit, ut indicavimus, brevi spatio, mirumque, siliqua silvestris amplecti radicibus fontem eum dicitur semper florens purpura. et quaedam sui generis herba in labris fontis viret.*	c. 25, 2. *Est autem noxia aqua in Thessalia circa Tempe, quam et fera et pecus omne devitat. per ferrum et aes exit: tanta vis est illi etiam dura mordendi. nec arbusta quidem ulla alit et herbas necat.*
14. *Item in Macedonia qui velint sibi candida nasci ad Haliacmonem ducere,* … *qui nigra aut fusca ad Axium.* (Theophrastus laudatur.)	4. *In Macedonia quoque, ut ait Theophrastus, amnis est, ad quem qui facere oves albas voluerint adducunt. quem ut diutius potavere, non aliter quam infectae mutantur.*
31. *sed hi rationem adferunt, quoniam levissima sit imbrium quae subire potuerit ac pendere in aëre. ideo et nivis praeferunt, nivibusque etiam glaciem velut ad infinitum coacta subtilitate. leviora enim haec esse et glaciem multo leviorem aqua.*	12. *Quis non gravissimas esse aquas credat, quae in crystallum coeunt? contra autem est: tenuissimis enim hoc evenit, quas frigus ob ipsam tenuitatem facillime gelat. Unde autem fiat eiusmodi lapis, apud Graecos ex ipso nomine apparet:* χρύσταλλον *enim adpellant aeque hunc perlucidum lapidem quam illam glaciem, ex qua fieri lapis creditur. aqua enim caelestis minimum in se terreni habens cum induruit, longioris frigoris pertinacia magis ac magis, donec omni aëre excluso in se tota compressa est et humor qui fuerat, lapis effectus est.*
33. *minui certe liquorem omnem congelatione deprehenditur et rore nimio scabiem fieri, pruina uredinem, cognatis et nivis causis.*	11. *Creditum est quasdam aquas scabiem afferre corporibus, quasdam vitiliginem* . . . .
	26. *Aestate quaedam flumina augentur.* . . . . *Theophrastus est auctor in Ponto quoque quosdam amnes crescere tempore aestivo.*

Plinius XXXI.

55. *Et illa miraculi plena* Arethusam Syracusis *fimum redolere per Olympia verique simile, quoniam Alpheus in eam insulam sub ima maria permeet.*

Rhodiorum fons in Chersonneso *nono anno purgamenta egerit.*

Seneca III.

5. *Quidam fontes certo tempore purgamenta eiectant, ut* Arethusa in Sicilia *quinta quaque aestate per Olympia. inde opinio est Alpheon ex Achaia eo usque penetrare et agere sub mare cursum nec ante quam in Syracusano litore emergere . . . . . .*

6. *Est in* Chersonneso Rhodiorum fons, *qui post magnum intervallum temporis foeda quaedam turbinibus ex intimo fundat, donec liberatus eliquatusque est.*

His in miraculis similitudo inter utrumque auctorem non tanta est, quanta in iis quae apud Senecam antecedunt.

§ 53. *Nascuntur fontes decisis plerumque silvis, quos arborum alimenta consumebant, sicut in* Haemo, *obsidente Gallos Cassandro, cum valli gratia silvas cecidissent. plerumque vero damnosi torrentes conrivantur detracta collibus silva continere nimbos ac digerere consueta. et coli moverique terram callumque summae cutis solvi aquarum interest. proditur certe* in Creta *expugnato oppido quod vocabatur* Arcadia *cessasse fontis amnisque qui in eo situ multi erant, rursus condito post sex annos emersisse, ut quaeque coepissent partes coli.*

54. *Terrae quoque motus profundunt sorbentque aquas, sicut* circa Pheneum Arcadiae *quinquiens accidisse constat. sic et* in Coryco *monte amnis erupit posteaque coeptus est coli. illa mutatio mira, ubi causa nulla evidens adparet, sicut* in Magnesia *e calida facta frigida, salis non mutato sapore et* in Caria, *ubi Neptuni templum est, amnis qui fuerat ante dulcis mutatus in salem est.*

c. 11, 2. *Apud nos solet evenire, ut amisso canali suo flumina primum refundantur, deinde, quia perdiderunt viam, faciant. Hoc accidisse ait* Theophrastus, in Coryco monte, *in quo post terrarum tremorem nova vis fontium emersit. Sic et alios quoque casus intervenire opinatur, qui evocent aquas aut a cursu suo deiciant et avertant. Fuit aliquando aquarum inops* Haemus, *sed cum Gallorum gens a Cassandro obsessa in illum se contulisset et silvas cecidisset, ingens aquarum copia adparuit, quas videlicet in alimentum suum nemora ducebant, quibus eversis humor, qui desiit in arbusta consumi, superfusus est. Idem ait et* circa Magnesiam *accidisse . . . . . Idem ait* circa Arcadiam, *quae urbs* in Creta *insula fuit, fontes et rivos substitisse, quia desierit coli terra diruta urbe, postea vero quam cultores perceperit, aquas quoque percepisse. causam siccitatis hanc ponit, quod obriguerit constricta tellus nec potuerit imbres inagitata transmittere.*

Seneca III.

16, 5. *Inde, ut* *Theophrastus* *adfirmat, pisces quibusdam locis eruuntur* [27]).

Quae cum ita sint, dubitari nequit, quin Plinii narrationes in libro XXXI de Haemo, Arcadia urbe, Coryco monte, Magnesia, de Macedonio Haliacmone Theophrasteae sint. Eiusdem philosophi quoque fabulas esse de Chersonneso Rhodiorum, de Thessalicis Tempe, de Arethusa, de pondere glaciei et noxa roris ceteiarumque rerum, verisimillimum est. Tamen in iis nomen auctoris nunquam affertur. Theophrasteae quoque sunt Senecae descriptiones, in quibus agit de Thessalicis Tempe [28]), de aquis scabiem afferentibus, de glacie, de Rhodiorum fonte, quamquam etiam hic, quem secutus sit scriptorem, reticet.

Cum autem Senecae relationes in cap. 11 docto illi Aristotelis discipulo debeantur, manifestum est recte Gruterum codicum quorundam verba: ‚*sunt qui alios* (vel *alias*) *quoque casus* (vel *causas*) *intervenire opinantur*, *qui* (vel *quae*)' reiecisse.

Sed verba eius de Arethusa ex eodem fonte sumpta esse non videntur, quia quae uno tenore narravit aliunde petivit.

Haec paradoxa autem non ex eodem libro uterque hausit, nam Plinius XXXI, 28 dicit: circa Thessalica Tempe ‚*siliqua silvestris amplecti radicibus fontem eum dicitur semper florens purpura. et quaedam sui generis herba in labris fontis viret*', quod Theophrastum re vera docuisse ex Vitruvio VIII, 3, 15 apparet: ‚*ad quem fontem proxime est arbor florens purpureo colore*', sed Seneca III, 25 opinatur aquam in Thessalia circa Tempe ‚*nec arbusta quidem ulla alere et herbas necare.*' Plinius XXXI, 55 scribit ‚*Rhodiorum fontem in Chersonneso* *nono anno* *purgamenta egerere*, Seneca c. 26, *post magnum intervallum*' e.q.s. Sed hoc fortasse levioris momenti est,

27) cf. Ps.-Aristotelis mir. ausc. 73. Theophr. de pisc. fr. 171, 7, 11 (Wimmer.).

28) Vitruvius VIII, 3, 15 cum Plinii et Senecae descriptione de Thessaliae Tempe consentit.

maioris autem, quod apud Plinium XXXI, 54 exstat: ‚*illa mutatio mira, ubi causa nulla evidens adparet, sicut in Magnesia e calida facta frigida, salis non mutato sapore.*' Hoc igitur loco auctor contendit causam evidentem non adparere aquae mutatae: apud Senecam c. 11 legitur: ‚*idem* (quod in Haemo, ubi aqua ingens apparuit silvis succisis) *circa Magnesiam accidisse.*' Itaque neque secundus neque tricesimus unus Plinii liber ex eodem scriptore descripti sunt ex quo Senecae liber III, qui cum Theophrastea minus accurate redderet, non ex Theophrasto ipso sed ex alio auctore, qui illum laudavit, sua sibi sumpsit. Necesse autem est coniciamus in uno libro Senecam, quae Plinii libro II et XXXI similia sunt, invenisse et huius auctorem libri II Theophrastea non attulisse. Ob eam rem in narratione de Lydiae insulis Theophrasti memoria apud Senecam c. 25, 8 (*Theophrastus est auctor*) delenda est, cum eae apud Plinium § 229 libri II commemorentur, quod iam Ruhkopfius voluit, nescio qua de causa. Utique mirum esset, nisi quicquam, quod iam Theophrastus docuisset, in Plinii libro II inveniretur, quia paradoxographorum unusquisque priorum narrationes ut suas sibi vindicabat et, auctor quis esset, celabat. Profecto narratiuncula de fonte in Paphlagonia Plinii (II, 230) Theophrasto debetur, sed nomen huius ab illius auctore allatum non est.

Qui autem fontes sunt Senecae et Plinii et unde derivati sunt? Ut hoc perspiciamus, videamus quid in huius libro XXXI Theophrasto adscribi liceat. Theophrastus laudatur in rebus mirabilibus de Crathi, Sybari, Haliacmone, Axio, de fonte in Messapiis, in Lusis Arcadiae (§ 13, 14), de fonte iuxta Solos Ciliciae sito (§ 17), de Marsyae aqua in Phrygia (§ 19), de Arcadiae Pheneo (§ 26), praeterea in §§ 83, 106. Sed etiam alia erui possunt, quae eum docuisse necesse est, ex fragmentis apud Athenaeum servatis. Haec sunt:

§ 20. *Crannone est fons calidus citra summum fervorem, qui vino triduo addito calorem potionis custodit in vasis.*	*Athen. II p.* 42 *c* (*fr.* 159 *Wimmer*) ἐν Κραννῶνι δ' ἐστὶν ὕδωρ ἡσυχῇ θερμὸν ὃ θερμαῖνον διατηρεῖ κραθέντα τὸν οἶνον ἐπὶ δύο καὶ τρεῖς ἡμέρας . . . . .

31. *stagnantis pigrasque merito damnant, utiliores quae profluunt existimantes, cursu enim percussuque ipso extenuari atque proficere, eoque miror cisternarum ab aliquis maxume probari. sed hi rationem adferunt, quoniam levissima sit imbrium quae subire potuerit ac pendere in aëre.* 32. *ideo et nivis praeferunt, nivibusque etiam glaciem velut ad infinitum coacta subtilitate. leviora enim haec esse et glaciem multo leviorem aqua.*	Τὰ δ' ἐπίρρυτα καὶ ἐξ ὀχετοῦ ὡς ἐπίπαν βελτίω τῶν στασίμων, κοπτόμενά τε μαλακώτερα γίνονται. Διὰ τοῦτο καὶ τὰ ἀπὸ τῆς χιόνος δοκεῖ χρηστὰ εἶναι. Καὶ γὰρ ἀνάγεται τὸ ποτιμώτερον. Καὶ τοῦτο κεκομμένον ἐστὶ τῷ ἀέρι. Διὸ καὶ τῶν ὀμβρίων βελτίω, καὶ τὰ ἐκ κρυστάλλου δὲ διὰ τὸ κουφότερα εἶναι· σημεῖον δὲ ὅτι καὶ ὁ κρύσταλλος αὐτὸς κουφότερος τοῦ ἄλλου ὕδατος . . . .[29]
36. *ante omnia autem damnantur amarae et quae sorbentem statim implent, quod evenit Troezene.*	Ἄλλα δὲ τῶν ὑδάτων καὶ σωματώδη εἰσὶ καὶ ἔχει ὥσπερ τι βάρος ἐν ἑαυτοῖς, ὡς τὸ ἐν Τροιζῆνι· τοῦτο γὰρ καὶ τῶν γευομένων εὐθὺς ποιεῖ πλῆρες τὸ στῶμα . . . .
52. *totiens et Nili rigua pluviae amara fecere magna pestilentia Aegypti.*	Αὐχμῶν δέ ποτε γενομένων περὶ τὸν Νεῖλον ἐρρύη τὸ ὕδωρ ἰῶδες καὶ πολλοὶ τῶν Αἰγυπτίων ἀπώλοντο . . . .
54. *et in Caria ubi Neptuni templum est, amnis qui fuerat ante dulcis mutatus in salem est.*	Μεταβάλλειν τέ φησιν οὐ μόνον τὰ πικρὰ τῶν ὑδάτων ἀλλὰ καὶ τὸ ἁλυκὸν καὶ ὅλους ποταμοὺς καθὰ τὸν ἐν Κιθαιρῶνι, παρ' ᾧ Ζηνός, καὶ τὸν ἐν Καρίᾳ, παρ' ᾧ Ζηνοποσειδῶνος ἱερόν ἐστιν· αἴτιον δὲ τὸ πολλοὺς κεραυνοὺς πίπτειν περὶ τὸν τόπον . . . .[30]
55. *Mutantur et colores aquarum sicut Babylone lacus aestate rubras habet diebus XI. et Borysthenes aestatis temporibus caeruleus fertur, quamquam omnium aquarum tenuissimus, ideoque innatans Hypani, in quo et illud mirabile austris flantibus superiorem Hypanim fieri.*	Τὸ γοῦν τῆς ἐν Βαβυλῶνι λίμνης ἐρυθρὸν γίνεται ἐπί τινας ἡμέρας. Τὸ δὲ τοῦ Βορυσθένους κατά τινας χρόνους ἰοβαφές, καίπερ ὄντος δι' ὑπερβολὴν λεπτοῦ· σημεῖον δέ· τοῦ Ὑπάνιος ἐπάνω γίνεται διὰ κουφότητα τοῖς βορείοις . . . . . .
61. *nec vero omnis quae sint calidae medicatas esse credendum sicut in Segesta Siciliae, Larisa*	43*a*. Καὶ τῶν θερμῶν δ' ἐκ φύσεως ὑδάτων ἔνια γλυκέα ἐστὶν ὡς τὰ ἐν Αἰγαῖς τῆς Κιλικίας

---

29) cf. Seneca N. Qu. III, 25.

30) cf. Preller ‚Griech. mythol.' I³, pag. 475.

Troade, Magnesia, Melo, Lipara.	καὶ περὶ Παγασάς, τά τ' ἐν τῇ Τρωικῇ Λαρίσσῃ καὶ περὶ Μαγνησίαν καὶ ἐν Μήλῳ καὶ ἐν Λιπάρᾳ . . . . .[31]).

Hae igitur narratiunculae Plinii Theophrasteae sunt, sed aliunde fluxerunt quam Athenaei, nam si illius § 52 de Nilo, § 55 de Borysthene et Hypani, § 61 de Segestano fonte Siciliae conferre vis cum huiùs locis similibus, dissimilitudines esse videbis, quae utrumque unum eundemque auctorem adhibuisse probabile non faciant. Athenaeus autem in sua expositione Isigono Nicaeensi usus est neque ex Theophrasto ipso hausit, quia vix credi potest eum huius libros de aquis et de plantis inspexisse et quia p. 43 a *τὰ βασιλικὰ* commemorantur Prusae, quae urbs Theophrasti aetate non exstabat. Immo Isigonum Athenaei auctorem fuisse inde apparet, quod hic fontis in Carthaginiensi Siciliae parte siti eodem modo mentionem fecit p. 42 e: *ἐν τῇ Καρχηδονίων ἐπικρατείᾳ κ.τ.λ.*, quo Isigonus apud Ps.-Sotionem c. 29: *Ἀριστοτέλης ἱστορεῖ κατὰ Καρχηδόνα κρήνην εἶναι ἐλαίου προσηνεστέραν· ἂν δὲ μή τις ἁγνὸς προσίῃ ἐκλείπειν αὐτήν*, quamvis Antigonus Carystius ex Callimacho c. 139 recte commemorarit fontem in Mytistrato Siciliae esse. Porro Athenaeus eodem loco fontem, quem Alexander in Asia invenit, laudat ut Isigonus apud anonymum c. 5: *ἐν Πέρσαις φασὶν Ἀλεξάνδρῳ φανῆναι κρήνην ἐλαίου πληρουμένην αὐτομάτως*. Sed etiam quae sequuntur, ex Isigono petivit, nam quod de Theopompo tradidit p. 43 d: *περὶ τὸν Ἐριγῶνα ποταμὸν ὀξὺ εἶναι ὕδωρ καὶ τοὺς πίνοντας αὐτὸ μεθύσκεσθαι καθὰ καὶ τοὺς τὸν οἶνον*, laudavit Ps.-Sotio c. 20, et Isigonus, cuius fragmenta edidit Erwinus Rohde in actis semin. philol. Lips. I, 1. p. 35 sqq. in cap. XIII, de fonte in Lyncestis sito; et Phylarchi narratiunculam de Clitorio (43 f) Isigonus apud Ps.-Sotionem in cap. 12 eandem tradidit. Non igitur errasse mihi videor, si conicio omnia, quae Athenaeus attulit a pag. 41 f usque ad pag. 44 ex Isi-

31) Plinius, sive eius auctor, fontem Aegis situm cum Segestano Siciliae confudit, de quo Strabo VI p. 275: τὰ δὲ Αἰγεστεῖα (sc. Θερμὰ ὕδατα) πότιμα.

gono sumpta esse. Ex quo cum Plinius sua propter discrepantias descripsisse vix possit, unde narratiunculas attulerit, nunc quaerendum est.

Quis eius auctor fuerit, ei qui Erwinum Rohde de Varrone Isigoni Nicaeensis discipulo p. 30 recte disputasse credit, dubium non erit. Nam si Plinii librum XXXI cum Vitruvii octavo comparamus, fieri nequit quin maxima similitudo nobis arrideat.

Vitruvius VIII, 3.	**Plinius XXXI.**
5. *uti [Pinnae Vestinae] Cutiliis [aliisque locis similibus.] Est autem frigidae genus nitrosum, quod potionibus depurgat, per alvumque transeundo etiam strumarum minuit tumores.*	10. . . . . *sed Cutiliae in Sabinis gelidissimae suctu quodam corpora invadunt, ut prope morsus videri possit, aptissimae stomacho, nervis, universo corpori.*
6. *Troezene non potest id vitari quod omnino aliud genus aquae non reperitur, nisi quod Cibdeli habent, itaque in ea civitate aut omnes aut maxima parte sunt pedibus vitiosi.*	11. *contra aquarum culpa in Troezene omnium pedes vitia sentiunt.*
Cilicia vero civitas Tarsos, flumen est Cydnus, in quo podagrici crura macerantes levantur dolore.	*Cydnus Ciliciae amnis podagricis medetur, sicut apparet in epistula Cassi Parmensis ad M. Antonium*[32].
8. *Alii autem per pingues terrae venas profluentes uncti oleo fontes erumpunt, uti Solis, quod oppidum est Ciliciae, flumen nomine Liparis, in quo natantes aut lavantes ab ipsa aqua unguuntur. similiter in Aethiopia lacus est, qui unctos homines efficit, qui in eo nataverint.*	17. *Polyclitus expleri iuxta Solos Ciliciae, eo ungui Theophrastus.* *ac idem in Aethiopia eiusdem nominis fontem* (?)
14. *Sunt enim Boetia flumina Cephisus et Melas, Lucania Crathis . . . . ad ea flumina cum pecora suis temporibus anni parantur ad conceptionem partus, per id tempus adiguntur cotidie potum ex eoque quamvis sicut alba procreant aliis locis loecophaea, aliis locis pulla.*	13. *Theophrastus Thuriis Crathim candorem facere* . .

32) De Cassii Parmensis memoria idem censeo quod antea censui de Ovidio Senecae laudato.

Vitruvius VIII, 3.

15. *item in Thessalia fons est profluens, ex quo fonte nec pecus ullum gustat nec bestiarum genus ullum propius accedit, ad quem fontem proxime est arbor florens purpureo colore.*

16. *Non minus in Macedonia, quo loci sepultus est Euripides, dextra ac sinistra monumenti advenientes duo rivi concurrunt in unum, e quibus ad unum accumbentes viatores pransitare solent propter aquae bonitatem, ad rivum autem, qui est ex altera parte monumenti nemo accedit, quod mortiferam aquam dicitur habere.*

18. *Item sunt nonnullae acidae venae fontium, uti* [*Lyncesto*], *et in Italia Velino, Campaniae Teano, aliisque locis pluribus, quae habent virtutem, uti calculos in vesicis, qui nascuntur in corporibus hominum, potionibus discutiant.*

22. *Item est in insula Chio fons e quo qui imprudentes biberint, fiunt insipientes, et ibi est epigramma insculptum ea sententia* . . . .

24. *sunt etiam nonnullis locis fontium proprietates, quae procreent qui ibi nascuntur egregiis vocibus ad cantandum uti Tarso, Magnesiae aliisque eiusmodi regionibus. Etiamque Zama est civitas Afrorum, cuius moenia rex Juba duplici muro sepsit* . . . . . .

25. *Interim cum esset inter nos de aquae potestate et eius virtutibus sermo, exposuit esse in ea terra eiusmodi fontes, ut qui ibi procrearentur voces ad cantandum egregias haberent.*

Plinius XXXI.

28. *Aliter circa Thessalica Tempe, quoniam omnibus terrori est* . . . . *mirumque siliqua silvestris amplecti radicibus fontem eum dicitur semper florens purpura. et quaedam sui generis herba in labris fontis viret.*

In Macedonia, non procul Euripidis poetae sepulchro, duo viri confluunt, alter saluberrimi potus, alter mortiferi.

9. *In Aenaria insula calculosis mederi, et quae vocatur Acidula ab Teano Sidicino quatuor milibus passuum — haec frigida —* . . . . *idem contingit in Velino lacu potantibus, item in Syriae fonte iuxta Taurum montem auctor est M. Varro, et in Phrygiae Gallo flumine Callimachus.*

15. *In Cilicia apud oppidum Cescum rivos fluit Nus, ex quo bibentium subtiliores sensus fieri Varro tradit, at in Cea insula fontem esse, quo hebetes fiant,*

Zamae in Africa ex quo canorae voces.

Ex hac comparatione manifestum est Plinium et Vitruvium eundem auctorem sequi, Varronem. Ex eo enim Solinus VII, 27 (p. 66, 11 Momms.) docuit: '*Varro opinatur duo in Boeotia esse flumina natura licet dispari, miraculo tamen non discrepante: quorum alterum si ovillum pecus debibat pullum fieri coloris quod induerit, alterius haustu, quaecunque vellerum fusca sint, in candidum verti*' et VII, 12 (p. 63, 8): '*Varro perhibet fontem in Arcadia esse, cuius interimat haustus.*' Illa ratio cum Vitruvii § 14, haec cum Plinii § 26 consentit. Illinc quoque perspici licet, quomodo Vitruvius fonte suo usus sit. Nam cum Varro in sequentibus ex Isigono, cuius verba servata sunt, apud Ps.-Sotionem 2: *Κρήνη ἐν Κλαζομεναῖς, ἀφ' ἧς τὰ θρέμματα πίνοντα τὴν ἐρέαν χρωματίνην ποιεῖ, ὥς ἱστορεῖ ὁ προειρημένος Ἰσίγονος*, de fonte Clazomeniorum aliquid narraret, Vitruvius hanc et antecedentem fabellam de Mela, Cephiso, Peneo, Xantho confudit et eorum aqua non oves, ut Varro, sed partus earum (Isigoni *θρέμματα*) mutari dixit.

Praeterea iam Rosius (anecd. Graeca I p. 10) Varronis narratiunculas de fontibus Cei et Zamae ap. Plinio (§ 15), ubi illius nomen affertur, cum Vitruvii §§ 22—24 composuit et recte contendit, qua in re Erwinus Rhode eum secutus est, Varronem Plinii et Vitruvii fontem fuisse, et docuit eum sua ex Isigono hausisse [33]). Nam de fonte Carthaginis apud Ps.-

---

33) Erravit Detlefsenus, qui contendit l. l. p. 394: „Dagegen weichen die einzelangaben über merkwürdige quellen, flüsse, seen u. s. w., welche Vitruv macht, durchaus von denen bei Plinius ab, obwohl von denselben gewässern die rede ist, so dass wir sehen, dass Plinius hier anderen schriftstellern gefolgt ist als dem Vitruv und seinen gewährsmännern." Fortasse etiam, quae Detlefsenus Plinium in libro XXXI ex Vitruvio hausisse voluit, uterque ex Varrone sumpsit.

Paullulum corrigere debemus Rosii et Rohdii sententias. Nam praeter Isigonum Varro etiam ex Posidonio nonnulla hausit, nisi opinamur Vitruvio illum adhibitum esse. Scriptores enim quos laudat, Theophrastum, Timaeum, Posidonium, Hegesiam, Herodotum, Aristidem, Metrodorum iam in fonte eum legisse necesse est. Etiam Varronis auctor, Isigonus, omnes eas commemorasse facile est ad coniciendum, praeter Posidonium, quem ille sequi vix potuit. Varro igitur praeter Isigonum Posidonii libros ad-

Sotionem c. 29 idem narrat, quod Vitruvius in § 8, de Hypani fluvio apud Athenaeum loco supra adscripto p. 43 c; de Scamandro in frgm. 11 Rohdii eadem, quae ille in §§ 11 et 14, de lacu, qui erat Chrobsi Thraciae, apud Ps.-Sotionem 15 et in frgm. 39 Rohdii idem, quod ille in § 15 et Plinius in § 28, de lacu Clitorio, de fontibus, qui in insula Chio et Susis erant, apud Ps.-Sotionem 24, 25, 26 et in frgm. 34 Rohdii eadem, quae Plinius in §§ 21—23. Si igitur Varro huic et Vitruvio, quae de aquis tradiderunt, suppeditavit et ipse ex Isigono hausit, etiam aliae narratiunculae Plinii, quae inveniuntur in libro XXXI, ei adscribi possunt. Hae sunt de Side stagno (Plin. § 21, Isigon. c. 36 Rohd.), quod rectius *Silen* vel *Sillen* vocari Isigonus et Antigonus Carystius 146 ostendunt, de lacu in Scotusaeis sito (Plin. § 17, Ps.-Sot. 9). Neque minus omnia Theophrastea, quae in hac libri XXXI Pliniani parte cum Isigono consentiunt neque tamen ex hoc ipso sumpta sunt, multoque plura iam in Varronis, Isigoni epitomatoris, libris exstiterunt.

Nunc redeundum est ad Senecae expositionem et Plinii in libro II. Illum in lib. III, 25 hunc in libro XXXI, Vitruvium in lib. VIII Rosius contendit (pag. 10) Isigoni narratiunculas per Varronem compertas habuisse. Hac in re erravit, ut arbitror; si enim verum est, quod antea exposui, etiam Theophrastea apud Plinium ex Isigono et Varrone hausta esse, intellegi nequit, quomodo et Plinius — sive Varronem mavis — et Seneca tam inter se dissimilia ex eodem auctore sumpserint. Plurima alterius ab altero dissentientia de Theophrasti doctrina iam antea composui. Addendi modo sunt Plinii et Senecae loci, qui exstant:

---

hibuit. Hoc eo probatur, quod Plinius ex eo aquas Segestanos Siciliae laudavit, quamquam Isigonus, teste Athenaeo fontem apud Aegas Ciliciae situm esse docuit. Isigoni et Posidonii verba Varro commiscuit, nam Strabonis enunciatum (p. 275) τὰ δ' Αἰγεσταῖα πότιμα Posidonianum esse, postea demonstrabo.

XXXI, 14: *item in Macedonia, qui velint sibi candida nasci, ad Haliacmonem ducere, qui nigra aut fusca, ad Axium.*

(Theophrastus laudatur.)

25, 4. *In Macedonia quoque, ut ait Theophrastus, amnis est, ad quem qui facere oves albas voluerint, adducunt. quem ut diutius potavere, non aliter quam infectae mutantur. At si illis opus fuit lana pulla, paratus gratuitus infector est: ad Peneion eundem gregem adpellant.*

Ergo quae Theophrasto debeatur apud Plinium in libro XXXI et apud Senecam in libro III, eidem fonti, Isigono et Varroni, tribui non licet.

De ceteris rebus, quas iam Theophrastum docuisse ignoramus, idem statuendum erit. Sane narratiunculae de insulis ad Cutilias et in lacu Vadimonio natantibus apud Senecam simillima sunt Isigono apud Ps.-Sotionem c. 37. 38, et Varronem ipsum eadem dixisse Plinius testatur N. H. III, 12, 109: ‚*in agro Reatino Cutiliae lacum, in quo fluctuetur insula, Italiae umbilicum esse M. Varro tradit*', sed si illas ex huius mirabilibus historiis depromptas esse credimus, eadem ratione etiam Plinium quae praebet in § 209 libri II et reliqua, quae inter Senecam et Plinium (l. II) consentiunt, eidem scriptori debere censendum est. Hoc autem prorsus negari necesse est. Quomodo enim intellegi potest, cur Plinius in lib. II, si Varronis libros, in quibus permulta ex Theophrasto petita erant, alia auctoris nomine allato, alia nomine non allato adhibuit, semper huius doctrinam omiserit, quamquam saepe perbene ei quadrabat? Minime; Plinius quidem et Seneca ad eiusdem alius auctoris rerum mirabilium epitomen referri possunt, quia alter magis cum altero consentit, quam cum Varrone, sed uterque illam epitomen ut ita dicam, non ab ipsius scriptoris manu profectam sed ab altero immutatam adhibuit, Plinii auctore illam tantum exscribente, Senecae etiam Theophrastea adiciente. Quis ergo communis fons est?

Aliter atque Rosius et Rohdius Hermannus Diels (in proll. doxogr. p. 229) opinatus est Theophrasti memoriam in Senecae N. Q. III ex Posidonio servatam esse. Huius viri doctissimi sententia ne stare possit, quamquam vereor, tamen

multa Posidoniana Senecae libro III inesse recte intellexit in pag. 225.

Certe in cap. VI Posidonianam eruditionem praebet. Hic enim dicit: '*Quidam existimant quicquid ex imbribus terra concipit, ad ima trahi et in flumina rursus emitti et hoc argumenti loco ponunt, quod rarissima flumina sunt in his locis, quibus rarus est imber. Ideo siccas aiunt Aethiopiae solitudines esse paucosque inveniri in interiore Africa fontes, quia fervida natura coeli sit et paene semper aestiva. squalidae itaque sine arbore, sine cultore arenae iacent raris imbribus sparsae, quos statim combibunt.*' Idem Posidonio tribuit Strabo XVII p. 830 (fr. 73): *Ποσειδώνιος δ' οὐκ οἶδ' εἰ ἀληθεύει φήσας ὀλίγοις καὶ μικροῖς διαρρεῖσθαι ποταμοῖς τὴν Λιβύην· αὐτοὺς γὰρ οὓς Ἀρτεμίδωρος εἴρηκε, τοὺς μεταξὺ τῆς Λυγγὸς καὶ Καρχηδόνος καὶ πολλοὺς εἴρηκε καὶ μεγάλους. Ἐν δὲ τῇ μεσογαίᾳ ταῦτ' ἀληθέστερον εἰπεῖν· εἴρηκε δὲ τούτου τὴν αἰτίαν αὐτός· μὴ γὰρ κατομβρεῖσθαι τοῖς ἀρκτικοῖς μέρεσι, καθάπερ οὐδὲ τὴν Αἰθιοπίαν φασί· διὸ πολλάκις λοιμικὰ ἐμπίπτειν ὑπὸ αὐχμῶν καὶ τὰς λίμνας τελμάτων πίμπλασθαι καὶ τὴν ἀκρίδα ἐπιπολάζειν.* De Thaletis sententia in cap. 13 et 14 Dielesius disseruit l. l. Simile aliquid sub terra fieri atque in nubibus Seneca dicit III, 15, 7 et V, 14, 3 et Plinius in § 192, quae non ex Aristotelis meteor. II, 8 hausta est. De antris mortiferis vel avibus ebrietatem efficientibus c. 21 idem docet auctor de mundo IV p. 395 b 26 sqq. Empedoclis sententia de aquis calentibus cap. 24 invenitur etiam de mundo IV p. 395 b 23 sqq. Quartam inundationum rationem in cap. 26 similem tradidit Seneca atque Diogenes Apolloniates apud eundem IV, 2, 28 sq. et Posidonius apud Strabon. III p. 173 et auctor libri de mundo IV p. 396 a 25 sqq. Quomodo mare se purgaret, et Seneca exposuit c. 26, 7 sq. et Strabo I p. 53, quem locum Posidonii esse mihi persuasi.

Etiam de Plinii libro II idem probari potest: multa enim ibi Posidoniana sunt. Hoc loco modo de iis rebus disserere possum, quae mirabilibus, de quibus ago, praecedunt, quamvis permulta in aliis capitibus ut puto eidem philosopho tribuenda sunt. Memoria ortus Therae et Therasiae insularum

§ 202 servata est a philosopho illo Apameensi apud Senecam N. Q. VI, 21, 1 et II, 26, 4, insulae in sinu Tusco emergentis in § 203 apud Strabonem VI p. 277, Etiam Pithecussas Plinium apud philosophum invenisse necesse est, quamvis Strabo in p. 248 Timaeum secutus eas memorarit. Nam p. 57 iam antea eas attulit, paragrapho 16 capitis 3 libri I ex Posidonio petita. Hoc eo demonstratur, quod de terrae motu Sidone facto eum laudavit, res autem Therae et Therasiae factae, ut supra dictum, apud eundem narratae erant, et de Aeoli insulis apud Strabonem p. 277 ipse disseruit.

Porro ratio numen divinum per omne diffusum esse atque ‚erumpere' stoica est (§ 208). In § 219 Plinius narravit: ‚*Et quorundam tamen privata natura est, velut Tauromenitani euripi saepius et in Euboea septiens die ac nocte reciprocantis. idem aestus triduo in mense consistit, septuma octava nonaque luna. Gadibus qui est delubro Herculis proxumus fons inclusus ad putei modum alias simul cum oceano augetur minuiturque, alias utrumque contrariis temporibus. eodem in loco alter oceani motibus consentit. In ripa Baetis oppidum est cuius putei crescente aestu minuuntur, augescunt decedente, mediis temporum immobiles. eadem natura Hispali oppido uni puteo, ceteris volgaris. Et Pontus semper extra meat in Propontidem, introrsus in Pontum nunquam refluo mari.*' De Tauromenitano [34]) euripo et Chalcidico Euboeae eadem Strabo sive ex Athenodoro, sive ex Posidonio retulit, eadem quoque de Propontide [35]) I p. 55 (fr. 93) *Περὶ μὲν οὖν τῶν πλημμυρίδων καὶ τῶν ἀμπώτεων εἰρήκασιν ἱκανῶς Ποσειδώνιός τε καὶ Ἀθηνόδωρος· περὶ δὲ τῆς τῶν πορθμῶν παλιρροίας, ἐχόντων καὶ αὐτῶν φυσικώτερον λόγον, κατὰ τὴν νῦν ὑπόθεσιν τοσοῦτον εἰπεῖν ἀπόχρη, ὅτι οὐδὲ εἷς τρόπος τοῦ ῥοώδεις εἶναι τοὺς πορθμούς, ὅ γε κατ' εἶδος· οὐ γὰρ ἂν ὁ μὲν Σικελικὸς δὶς ἑκάστης ἡμέρας μετέβαλλεν, ὡς οὗτός φησιν, ὁ δὲ Χαλκιδικὸς*

34) De freto Siculo cf. Ps.-Aristot. mir. ausc. 55. (cf. Müllenhoff ‚deutsche altertumskunde' p. 427) et Antigonum Caryst. mir. ausc. 125.

35) Eandem Ponti vim descripsit Plinius N. H. IV, 93, in cuius libri indice auctorum Posidonii nomen invenitur. Eadem exstant in scholio ad Dionys. perieg. v. 160: ἤτοι ἐξ αὐτῆς τοῦ Πόντου τὸ ὕδωρ ἐκφέρεσθαι.

ἑπτάκις, ὁ δὲ κατὰ Βυζάντιον οὐδὲ μετέβαλλεν, ἀλλὰ διετέλει τὸν ἔκρουν μόνον ἔχων τὸν ἐκ τοῦ Ποντικοῦ πελάγους εἰς τὴν Προποντίδα, ὡς δὲ Ἵππαρχος ἱστορεῖ καὶ μονάς ποτε ἐποιεῖτο. Idem docuit Diogenes Apolloniates apud Senecam N. Q. IV, 2, 29: ‚*ob hoc Pontus in infernum mare adsidue fluit rapidus, non ut cetera maria alternatis ultro citroque aestibus, in unam partem semper pronus et torrens.*' Cuius sententiam Senecam ex Posidonio sibi vindicasse verisimile est, quia in tota de Nilo disputatione illum huius librum secutum esse Dielesius probavit l. l. p. 229. Restat, ut quae Plinius de fontibus mirabilibus Gaditanorum et de puteis in ripa Baetis et in oppido Hispali sitis narraverat, certo auctori tribuantur. De fontibus idem tradidit Posidonius apud Strabonem III, 172 (fr. 95): *Ποσειδώνιος δὲ ψευδῆ λέγων τὴν ἱστορίαν εἶναι ταύτην δύο φησὶν εἶναι φρέατα ἐν τῷ Ἡρακλείῳ καὶ τρίτον ἐν τῇ πόλει· τῶν δ' ἐν τῷ Ἡρακλείῳ τὸ μὲν μικρότερον ὑδρευομένων συνεχῶς αὐθωρὸν καὶ ἐκλείπειν, καὶ διαλειπόντων τῆς ὑδρείας πληροῦσθαι πάλιν· τὸ δὲ μεῖζον δι' ὅλης τῆς ἡμέρας τὴν ὑδρείαν ἔχον, μειούμενον μέντοι, καθάπερ καὶ τἆλλα φρέατα πάντα, νύκτωρ πληροῦσθαι, μηκέτι ὑδρευομένων· ἐπειδὴ δὲ συμπίπτει κατὰ τὸν τῆς συμπληρώσεως καιρὸν ἡ ἄμπωτις πολλάκις, πεπιστεῦσθαι κενῶς ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων τὴν ἀντιπάθειαν.* Paullo post sequitur Athenodori sententia de his fontibus apud Strabonem p. 173. Baetim autem flumen Posidonius apud eundem scriptorem p. 174 (eod. frgm.) docuit circa novilunium aestivi solstitii inundare, quod quamquam cum Plinio non consentit, tamen stoicus ille philosophus fortasse etiam de puteis regionis eius crescentibus decrescentibusque aliquid scripsit. Sed hoc in coniectura positum est, id autem meo iure contendere me arbitror, cum Athenodorus apud Strabonem in pag. 55 et Plinium § 219 ad communem fontem redeant, qua de re dubitari non licet, luce clarius esse eos ex Posidonio hausisse. Athenodorum enim Plinius non adhibuit, quia nusquam nomen eius commemorat, Posidonium autem in libro II laudat. Et eiusdem librum Athenodorum esse imitatum et exscripsisse inde apparet, quod apud Strabonem eius nomen modo ter affertur et semper una cum

magistro pp. 6, 55, 173 semperque περὶ τῶν πλημμυρίδων καὶ τῶν ἀμπώτεων sive περὶ τοῦ ὠκεανοῦ καὶ τῶν πλημμυρίδων simillima memorat. Denique in dulcibus aquis lunae alimentum esse, sicut in marinis solis (Pl. § 223), ut stoici docent, a Posidonio in libro VI physicae expositum erat (Diog. Laert. VII, 145). Quae res ex illius libris compertae, quamquam ex magna inter utrumque consentientium rationum copia corrasae atque arreptae satis probant Plinium saepe in libro II illum philosophum secutum esse, neque mirabimur, si in §§ 224 sqq. pleraque ab illo mutuatus est. In § 224 enim verba exstant: ‚*Quaedam vero et dulces inter se supermeant alias, ut . . . . . in Lemanno Rhodanus hic trans Alpes . . . . . multarum milium transitu hospitalis suas tantum nec largiores quam intulere aquas evehentes. proditum hoc et in Oronte amne Syriae multisque aliis.*' Idem de Rhodano fluvio Strabo commemorat p. 271, cum fabulam de Arethusa fonte reiciat. Qui locus, ut plurima capitis II [36]) eius libri VI, quin ex Posi-

36) In cap. I libri VI Strabonis iterum iterumque Antiochus laudatur, sed in cap. II nusquam, saepissime autem Posidonius. Inde conici licet in illo scriptorem plerumque Antiochum secutum esse, in hoc Posidonium. Iam in § 1, forma et situ Siciliae expositis, Posidonius commemoratur de magnitudine laterum et circuitus insulae. Tum de iisdem chorographi et Ephori de circuitu verbis allatis, denuo stoicum illum in auxilium vocat geographus de promonturiis et primum quidem de latere orientali loquitur narratque, quantum Pachynum ab Alphei ostio distet; tum Artemidori auctoritate interposita de litore in Africam vergente et de intervallo inter Lilybaeum et Carthaginem, denique de tertio latere eadem ratione ita loquitur, ut appareat fere totam paragr. 1 (exceptis chorographi, Ephori, fortasse Artemidori verbis, quem a Posidonio dissentire scriptor dicit) ex hoc fluxisse (cf. etiam Müllenhoff, deutsche altertumskunde p. 443). In § 2 lateris orientalis urbes enumerat atque monet, quod Ephorus de earum historia narravit, § 3 singula oppida describit, Messanam et Catanam, et ab initio p. 269 — nam narratio de Amphinomo et Anapia etiam Posidoniana est, cum eandem praebeant Seneca de benef. III, 37, 2 et auctor libri de mundo VI p. 400 a 34 sqq. — de fertilitate regionis circa Aetnam sitae Posidonium sequitur. In § 4 pergit in descriptione urbium et Syracusarum historiam exponit, Ephoro de primis incolis laudato, fabulaque de Arethusa fonte praemissa, communem opinionem reicit. Etiam hanc refutationem ex Posidonio sumptam esse, ut supra dixi, verisimile est. In fine paragraphi huius, postquam quid sua aetate evenerit descripsit, sola in

donio sumptus sit, non dubito, quia fabula de Alpheo iterum invenitur apud Senecam III, 26, 5. Posidonium eam refellisse iam illius verba: ‚*inde opinio est*' demonstrare mihi videntur. Paullo post Strabo pergit: *ἐπιτείνουσι δὲ τὴν τοιαύτην τερατολογίαν οἱ τὸν Ἰνωπὸν εἰς Δῆλον ἐκ τοῦ Νείλου περαιοῦντες. Ἀλφειὸν δὲ Ζωίλος ὁ ῥήτωρ ἐν τῷ Τενεδίων ἐγκωμίῳ φησὶν ἐκ Τενέδου ῥεῖν, ὁ τὸν Ὅμηρον ψέγων ὡς μυθογράφον. Ἴβυκὸς δὲ τὸν ἐν Σικυῶνι Ἀσωπὸν ἐκ Φρυγίας ῥεῖν φησι. βελτίων δ' Ἑκαταῖος, ὅς φησι τὸν ἐν τοῖς Ἀμφιλόχοις Ἴναχον ἐκ τοῦ Λακμοῦ ῥέοντα, ἐξ οὗ καὶ ὁ Αἴας ῥεῖ, ἕτερον εἶναι τοῦ Ἀργολικοῦ, ὠνομάσθαι δ' ὑπὸ Ἀμφιλόχου τοῦ καὶ τὴν πόλιν Ἄργος Ἀμφιλοχικὸν καλέσαντος· τοῦτον μὲν οὖν οὗτός φησιν εἰς τὸν Ἀχελῷον ἐκβάλλειν, τὸν δὲ Αἴαντα εἰς Ἀπολλωνίαν πρὸς δύσιν ῥεῖν.* Similia Plinius ait § 229: ‚*et in Delo insula Inopus fons eodem quo Nilus modo ac pariter cum eo decrescit augeturve.*' Et Seneca in cap. 26 expositionem, cur flumina

---

§ 5 reliqua latera paucis absolvit et in sequente de media regione Siciliae disserere incipit, de Henna ceterisque oppidis, denique servile bellum breviter attingit. In p. 273 initio causam eius belli affert, quod ex philosophi Apameensis scriptis eum novisse verisimillimum est, cum Athenaeus in p. 273 a ex eodem bella servilia interque ea quod Romani cum Euno gesserunt, hauserit. In fine paragraphi huius rursus suae aetatis res gestas et in § 7 fertilitatem insulae laudat, deinde Posidonium meminit dixisse de arcibus Syracusis et Eryce. In §§ 8 et 9 de Aetna et Nebrodis montibus narrationem persequitur eam, quam incohavit in paginae 269 initio. Illam igitur ex eodem fonte fluxisse, unde haec mihi persuasi exceptis nempe quae tradit de Aetnae ascensu sua aetate facto, praecipue cum Orontem, Tigridem, Nilum, Erasinum, Aseam, Timavum ex Posidonio ei notos fuisse demonstrare antea temptaverim. Porro mirum quantum consentire mihi videntur verba quae exstant de mundo VI p. 400 a 31: αἱ δὲ (φλόγες) πρὸς ἑσπέραν ἐκ γῆς ἀναβλύσασαι καὶ ἐκφυσήσασαι, καθάπερ τῶν ἐν Αἴτνῃ κρατήρων ἀναρραγέντων . . . . . et Strabonis: νύκτωρ μὲν οὖν καὶ φέγγη φαίνεται λαμπρὰ ἐκ τῆς κορυφῆς, μεθ' ἡμέραν δὲ καπνῷ καὶ ἀχλύι κατέχεται. Denique Liparearum insularum mentionem facit in §§ 10 et 11 et de eruptionibus loquitur, Polybii memoria interiecta. Alterum fontem igitur, quo praeter Polybium usus est, ex quo plurima capitis II manaverunt, philosophum fuisse apparet, quod in § 11 de insula inter Himeram et Euonymum orta eum laudat et ventum eruptionum causam esse et Aetnae et montium in Aeoli insulis sitorum docet eadem ratione, qua auctor libri περὶ κόσμου IV p. 395 b 18 sqq.

crescant vel minuantur cum aquis sub terra fluentibus coniungit. Porro narrationem de Inacho et Aeante pag. 316 Strabo repetit iterum Hecataeo laudato et statim ex Posidonio aliquid affert. Tum et Plinium et Senecam iis, quae de Lyco, Erasino, Tigride, ille de Timavo quoque disseruerunt, Posidonianam eruditionem servavisse facile intellegimus, si contemplamur, quod Strabo VI, 275 tradidit: *καθάπερ Ὀρόντης ἐν τῇ Συρίᾳ, καταδὺς εἰς τὸ μεταξὺ χάσμα Ἀπαμείας καὶ Ἀντιοχείας, ὃ καλοῦσι Χάρυβδιν, ἀνατέλλει πάλιν ἐν τετταράκοντα σταδίοις· τὰ δὲ παραπλήσια καὶ ὁ Τίγρις ἐν τῇ Μεσοποταμίᾳ καὶ ὁ Νεῖλος ἐν τῇ Λιβύῃ μικρὸν πρὸ τῶν πηγῶν. τὸ δὲ περὶ Στύμφαλον ὕδωρ ἐπὶ διακοσίους σταδίους ὑπὸ γῆν ἐνεχθὲν ἐν τῇ Ἀργείᾳ τὸν Ἐρασῖνον ἐκδίδωσι ποταμόν, καὶ πάλιν τὸ πρὸς τὴν Ἀρκαδικὴν Ἀσέαν ὑποβρύχιον ὠσθὲν ὀψέ ποτε τόν τ' Εὐρώταν καὶ τὸν Ἀλφειὸν ἀναδίδωσιν, ὥστε καὶ πεπιστεῦσθαι μυθῶδές τι, ὅτι τῶν ἐπιφημισθέντων στεφάνων ἑκατέρῳ καὶ ῥιφέντων εἰς τὸ κοινὸν ῥεῦμα ἀναφαίνεται κατὰ τὸν ἐπιφημισμὸν ἑκάτερος ἐν τῷ οἰκείῳ ποταμῷ. εἴρηται δὲ καὶ τὸ λεγόμενον περὶ τοῦ Τιμαύου.* Eadem verba ex eo fonte fluxerunt, unde Senecae et Plinii disputatio, sc. ex Posidonii libris; eum enim de Timavo laudavit Strabo V p. 215 (fr. 55): *Ποσειδώνιος δέ φησι ποταμὸν τὸν Τίμαυον ἐκ τῶν ὀρῶν φερόμενον καταπίπτειν εἰς βέρεθρον, εἶθ' ὑπὸ γῆς ἐνεχθέντα περὶ ἑκατὸν καὶ τριάκοντα σταδίους ἐπὶ τῇ θαλάττῃ τὴν ἐκβολὴν ποιεῖσθαι.* Etiamsi igitur Strabo in p. 275 priorum verborum recordatus est, tamen dubium non est, quin etiam alia flumina mirabilia, quae Senecae, Plinio, Straboni communia sunt, ex eodem scriptore noverit. Nam antea Orontem recordatus est et Nilum. De hoc idem docuit Seneca VI, 8, 3 ‚*a terra illum erumpere et augeri non supernis aquis, sed ex intimo redditis*', de illo accuratius idem exposuit Strabo p. 751 ex Posidonio, ut opinor. Nam de ludis ab Antiocho factis in Daphne oppidulo apud Athenaeum 210 D et 540 A et de Heracleone Beroensi in fine § 7 apud Athenaeum 153 B idem ille scripsit. Tum Plinii descriptioni Asphaltitis lacus: ‚*nihil in Asphaltite Iudaeae lacu, qui bitumen gignit, mergi potest.*' (§ 226) respondet Posidoniana apud Strabonem XVI, 763 sq.

Ἡ δὲ Σιρβωνὶς λίμνη πολλὴ μέν ἐστι· καὶ γὰρ χιλίων σταδίων εἰρήκασί τινες τὸν κύκλον· . . . . ἀγχιβαθής, βαρύτατον ἔχουσα ὕδωρ, ὥστε μὴ δεῖν κολύμβου, ἀλλὰ τὸν ἐμβάντα καὶ μέχρις ὀμφαλοῦ προβάντα εὐθὺς ἐξαίρεσθαι· μεστὴ δ' ἐστὶν ἀσφάλτου κ.τ.λ. Neque minus verba eiusdem paragraphi Plinii: '*Similiter in flumine Silaro ultra Surrentum non virgulta modo immersa verum et folia lapidescunt*, *alias salubri potu eius aquae*' eidem auctori tribuenda esse mihi persuasi. Eam enim Silari vim etiam p. 251 Strabo narravit: *διήκουσι δ' οἱ Πίκεντες μέχρι τοῦ Σιλάριδος ποταμοῦ τοῦ ὁρίζοντος ἀπὸ ταύτης τῆς χώρας τὴν ἀρχαίαν † Καμπανίαν· ἐφ' οὗ τοῦτ' ἴδιον ἱστοροῦσιν περὶ τοῦ ὕδατος † τοῦ ὄντος ποταμοῦ*[37]) *τὸ καθιέμενον εἰς αὐτὸ φυτὸν ἀπολιθοῦσθαι φυλάττον τὴν χρόαν καὶ τὴν μορφήν.* Paullo antea de Campanorum luxuria Posidonium adhibitum esse necesse est in pag. 250: *Καμπανοῖς δὲ συνέβη διὰ τὴν τῆς χώρας εὐδαιμονίαν ἐπ' ἴσον ἀγαθῶν ἀπολαῦσαι καὶ κακῶν. ἐπὶ τοσοῦτον γὰρ * εὖ * ἐτρύφησαν, ὥστ' ἐπὶ δεῖπνον ἐκάλουν πρὸς ζεύγη μονομάχων, ὁρίζοντες ἀριθμὸν κατὰ τὴν τῶν [συν]δείπνων ἀξίαν κ.τ.λ.* Hoc enuntiatum consentit cum Athenaeo III, 153 e: *Γερμανοὶ δέ, ὡς ἱστορεῖ Ποσειδώνιος ἐν τῇ τριακοστῇ, ἄριστον προσφέρονται κρέα μεληδὸν ὠπτημένα καὶ ἐπιπίνουσι γάλα καὶ τὸν οἶνον ἄκρατον. Καμπανῶν δέ τινες παρὰ τὰ συμπόσια μονομαχοῦσι. Νικόλαος δ' ὁ Δαμασκηνὸς κ.τ.λ.* Quamquam igitur Müllerus alterum enuntiatum Athenaei de Campanis in fr. 32 Posidonii omisit, tamen non dubito, quin hoc quoque eius sit, et Strabonis verba usque ad finem dicti Hannibalis, quae cum Diodoro XXVI, 11 consentiunt, eidem philosopho adscribo.

Etiam fontium ad Chelidonias insulas et Aradum et in Gaditano oceano sitorum notitia ex Posidonio manavit, quia verba Strabonis de Arado in p. 753 sq. ex eo hausta esse iam antea dixi, et illum de Gaditana regione multa quaesivisse nemo est quin sciat. Quod autem de Chelidoniis Callimachus ex Eudoxo apud Antigonum Caryst. 129 docet: *ἡ δὲ κατὰ Χελιδονίας ὅτι ἐπὶ πολὺν τόπον ἔχει γλυκείας πηγάς*

---

37) Kramerus emendabat Ἰταλίαν et ὄντος ποτίμου omisso τοῦ.

et Plinius Eudoxi nomen in indice libri II attulit — neque Callimachum neque Antigonum laudat — contra me non pugnat, nam Eudoxi libros vix ipse legit. Nonne enim in eius fonte huius nomen traditum esse potuit?

Denique de Mela, Cephiso, Peneo, Xantho certius aliquid statui potest, cum credamus nullos alios scriptores in Vitruvii fonte Varrone nominatos esse, quam quos affert. Ex iis enim in indice libri II Pliniani nomina tantum Timaei, Posidonii, Herodoti reperiuntur, inter quos si disceptatur, credo unumquemque quae de iis fluminibus est narratiunculam Posidonio tributurum esse, quippe cum de Mela Cephisoque idem a Seneca traditum sit.

Haec habeo, cur Posidonium communem Senecae et Plinii auctorem fuisse statuam. Sed uterque non ex illius libris hausit, sed ex aliis scriptoribus, qui illum adhibuerunt, cum, quod saepius antea dictum, nemo intellegere possit, cur, si apud Posidonium Theophrastea fuissent, Plinius ea semper omisisset. Ergo contra Hermannum Diels moneo inter Senecam et Posidonium alium auctorem interfuisse. Cur autem Plinius ipse stoici illius libris usus esse nequit?

Alium auctorem eum habuisse ut coniciam, adducor, quod § 231 Mucianum laudavit et § 227 de Arado loquitur, cuius memoriam § 128 libri V: ‚*et iam dicta Arados, inter quam et continentem L cubita alto mari, ut auctor est Mucianus, e fonte dulcis aqua tubo coriis facta usque a vado trahitur*', ex Muciano hausit, qui Posidonii librum exscripsit.

Quis autem Posidonii eruditionem Senecae tradiderit, pro certo affirmari nequit. Tamen mea quidem sententia, quod iam Dielesius opinatus est, hic in tertio quoque libro Naturalium Quaestionum illius discipulum secutus est Asclepiodotum. Is ad magistri doctrinam Theophrastea addidit, sed Mucianus ex aliis fortasse scriptoribus nonnulla paradoxis, quae legerat in Posidonii libris, subiecit, neque vero consulto quicquam ex ipsis Theophrasti scriptis transtulit.

Si igitur Strabonis descriptio fontis Aradi et Pliniana ex Posidonio sumpta est, nihil obstat, quominus etiam Lucretii versus supra scripti 890 sqq. eiusdem doctrinam referant.

Ergo unum paradoxon poetae stoico illi philosopho iam adscripsi. Sed alia mirabilia, quae poeta exposuit, iidem tribuenda esse fonti suspicor. In vv. 738—840 de lacu Averno agitur, apud Cumas sito, '*acri sulpure montis Oppleti calidis ubi fumant fontibus aucti*' de quibus Strabo V p. 244 dicit: *τόν τε Πυριφλεγέθοντα ἐκ τῶν θερμῶν ὑδάτων ἐτεκμαίροντο τῶν πλησίον καὶ τῆς Ἀχερουσίας.* Fabula de odore pestifero lacus Averni paullo demum ante Lucretii aetatem Romae fidem habuisse videtur, nam Caelius Antipater apud Plinium XXXI, 21 tradidit Timaeum secutus: '*apud nos in Averno etiam folia subsidere*', Varro, ut videtur in primis retulit '*aves quae advolaverint emori.*' Postea eius vis mortifera saepissime commemoratur. Eodem autem modo, quo Lucretius in vv. 738—46 et 818—29, de talibus locis Italiae disputat Seneca N. Q. VI, 28, 1: '*Quid, quod pluribus Italiae locis per quaedam foramina pestilens exhalatur vapor, quem non homini ducere, non ferae tutum est? aves quoque si in illum inciderint, antequam coelo meliore leniatur, in ipso volatu cadunt liventque corpora et non aliter quam per vim elisae fauces tument. Hic spiritus quamdiu terris continetur tenui foramine fluens, non plus potentiae habet, quam ut despectantia et ultro sibi inlata conficiat. ubi per secula conditus tenebris ac tristitia loci crevit in vitium, ipsa ingravescit mora, peior quo segnior. cum exitum nactus est, aeternum illud umbrosi frigoris malum et infernam noctem volvit ac regionis nostrae aëra infuscat.*' e.q.s. Simile aliquid idem retulit III, 21: '*In quosdam specus qui despexere, moriuntur. tam velox malum est, ut transvolantes aves deiciat: talis est aër, talis locus, ex quo letalis aqua distillat. Quod si remissior fuit aëris et loci pestis, ipsa quoque temperatior noxa nihil amplius quam temptat*

38) Etiam Pomponius Mela II, 43 (p. 43, 12 sqq. Parthey.) et Plinii (II, 228) auctor de fonte Dodonaeo ab eodem libro pendere videntur. Pomponius dicit: '*In Epiro Dodonae Jovis templum et fons ideo sacer, quod cum sit frigidus et immersas faces sicut ceteri exstinguat, ubi sine igne procul admoventur, accendit.*' Plinius: '*In Dodone Jovis fons cum sit gelidus et immersas facis exstinguat, si exstinctae admoveantur, accendit. idem meridie semper deficit, qua de causa* ἀναπαυόμενον *vocant.*' *e.q.s.*

nervos velut ebrietate torpentes.' e.q.s. Senecae aetate ea vis lacui Averno non inerat, ut Strabo V p. 245 C et Servius ad Verg. Aen. III, 442 dicunt. Itaque apparet Senecam descriptionem ex eodem auctore hausisse, ex quo ea, quae de terrae motibus et de fontibus in libris II et III exposuit, ex eodem etiam Plinium, quae de Averno § 208 scripsit; nam stoicum huius fontem fuisse in fine paragraphi demonstratur, ubi de numine divino loquitur, ut iam antea monui. Nonnullos Charonea tales regiones vocare ait, quo nomine etiam Stoici usi sunt, teste Diogene VII, 123: *ἔτι γε τὸν σοφὸν οὐδὲν θαυμάζειν τῶν δοκούντων παραδόξων, οἷον Χαρώνεια καὶ ἀμπώτιδας καὶ πηγὰς θερμῶν ὑδάτων καὶ πυρὸς ἀναφυσήματα.* Etiam quod auctor libri de mundo IV p. 395 b 26 de his locis exposuit: *ὁμοίως δὲ καὶ τῶν πνευμάτων πολλὰ πολλαχοῦ γῆς στόμια ἀνέῳκται, ὧν τὰ μὲν ἐνθουσιᾶν ποιεῖ τοὺς ἐμπελάζοντας τὰ δὲ ἀτροφεῖν, τὰ δὲ χρησμῳδεῖν, ὥσπερ τὰ ἐν Δελφοῖς καὶ Λεβαδίᾳ· τὰ δὲ καὶ παντάπασιν ἀναιρεῖ, καθάπερ τὸ ἐν Φρυγίᾳ* ex Posidonio fluxisse videtur. Certe Senecae verba eidem tribuenda sunt, neque dubito, quin Lucretii quoque versus de lacu Averno Posidonianam doctrinam reddant.

Sequitur in carminis Lucretiani vv. 848—78 descriptio fontis apud Hammonis fanum. Quae narratio, quia saepissime invenitur, ad quem fontem redeat, difficile est ad diiudicandum. Tamen versus 879—905 de fonte Dodonaeo ex Posidonio fluxisse verisimillimum est, cum de Aradi fonte narratio eiusdem sit. Meo iure statuere mihi videor, etiam quae Plinius, sive eius auctor Mucianus, de fonte Dodonaeo in § 228 disseruit, iam in stoici illius philosophi scriptis exstitisse; num autem temere coniecerim, vv. 848—78 ex eodem manasse non aliter atque Plinii verba: '*Jovis Hammonis stagnum interdiu frigidum noctibus fervet*' alii iudicent.

Ut causam odoris pestiferi lacus Averni explanet, commemorat poeta ad templum Palladis in arce Athenarum cornices non advolare:

usque adeo fugitant non iras Palladis acris
pervigili causa, Graium ut cecinere poetae
sed natura loci vi ibus officit ipsa suapte.

Idem tradidit Amelesagoras apud Antigon. Carystium 12: 'Αμελησαγόρας δὲ ὁ 'Αθηναῖος ὁ τὴν 'Ατθίδα συγγεγραφὼς οὔ φησι κορώνην προσίπτασθαι πρὸς τὴν ἀκρόπολιν, οὐδ' ἔχοι ἂν εἰπεῖν ἑωρακὼς οὐδείς.' κ.τ.λ. [39]). Forsitan *Graium poetas* Callimachum Lucretius intellexerit [40]). Quae fabula si apud Epicurum exstitisset, poetam Alexandrinum a philosopho Romano ipso inspectum esse oportet, quia illum magister Lucretii adhibere non potuit. Si apud Posidonium inventa erat, hic fortasse Callimachum iam laudavit. Id sane statuendum erit praeter Epicurum alium auctorem adhibitum esse, sive Callimachum sive Posidonium.

Iam satis haec de Posidonii vestigiis; valde temerarius fortasse visus sum, quod temptavi carminis poetae Romani, quem strenuum Epicureum fuisse viri docti persuasum habebant, vel etiam stoicum auctorem monstrare [41]). Quippe alios discipulos in nonnullis rebus ab accurata magistri doctrina quadamtenus recessisse Dueningius [42]) et Hirzelius [43]) docuerunt, vetusta illa placita philosophorum, licet a Stoico com-

39) Sequitur fabula, quam paullo diversam attulit Ovidius met. II, 552 sqq. De Amelesagora cf. de Wilamowitz ‚philol. untersuchungen' IV p. 24, adn. 17.

40) De Callimachi narratione cf. quod Bergkius scripsit ‚zu Callimachus' mus. Rhen. IX p. 138 sqq. Ad testimonia eius fabulae Bergkio laudata adiciendum est, quod Munrous adnotavit Philostr. vit. Apollon. II, 10.

41) Tamen quid scriptores et Romani et Graeci Posidonio debuerint, Cicerone excepto, parum inquisitum est. Eius libros multos legisse et exscripsisse credo neque dubito, quin etiam in Aetna carmine incerti auctoris multa ad eum redeant, quia alio modo similitudinem inter illud carmen et Lucretium atque Senecam intellegere nequeo. Incertissimum quidem esset, quod de auctore Lucretii erui, si Iacobius recte contendisset in praef. pag. XVIII auctorem Aetnae carminis Epicureum fuisse. Quod si ita esset, verisimilius esset Lucretium et poetam anonymum ad eundem fontem redire Epicureum. Tamen Iacobius sine causa hoc coniecit et a Munroo rectissime refutatus est.

42) l. l. p. 18 sq.

43) ‚Untersuchungen' I p. 165—190.

posita[44]), et Philodemus in libro, quem de pietate scripsit, et auctor Ciceronis de natura deorum I § 25—41, sive Phaedrus fuit, sive ipse ille Philodemus, sive Zeno, in usum suum convertit, Lucretium quoque interdum quidem ab Epicuro aberrasse Reisackerus[45]) et Bindseilius[46]) et Woltierus probaverunt, sed illa discrimina ‚ex ipsa Lucretii natura et indole quasi sua sponte manasse'[47]) arbitrati non suspicati sunt eum consulto, quamquam in rebus levissimis, quae ad doctrinam Epicuream nullius momenti erant, magistri vestigiis desertis alterum philosophum, alius disciplinae asseclam, consultasse.

Quod si in rebus singulis fortasse erravi, tamen summam rerum recte me perspexisse credo et probasse mihi videor Lucretium non tam obnoxium fuisse Epicuro, quam praecipue Zellerus atque Woltierus voluerunt.

44) Krische, ‚Forschungen' p. 40. 79 sq. H. Diels p. 128. 223 sqq.

45) Quaest. Lucret. Bonnae 1847.

46) ‚Nonnulla ad Lucretii de rerum natura carminis lib. I. II.' diss. Halae 1865 et Quaestiones Lucretianae progr. Anclam 1867.

47) Bindseilius Quaest. Lucr. p. 29.

Vita scriptoris.

Natus sum Paulus Carolus Ernestus Rusch a. d. III nonas Iulias anni 1858 Stetini patre Carolo, ludi literarii magistro, et Emma e gente Lüders matre carissima. Anno 1865 gymnasio Mariano traditus, quod tunc florebat sub auspiciis Heydemanni praeceptoris illustrissimi, et anno 1877 maturitatis testimonio instructus, transii in academiam Berolinensem. Hac in urbe per duo semestria hiberna versatus sum, sed aestate quae interfuit Tubingam me contuli. Scholas frequentavi per hoc tempus vv. ill. Kirchhoffii, Müllenhoffii, Schereri, I. Schmidtii, Vahleni, Zelleri; Flachii, Herzogii, Kelleri, Schwabii.

Anno 1879 adii almam universitatem Gryphiswaldensem, ubi per quinque semestria me docuerunt vv. dd. Hirschius, Kiesslingius, Reifferscheidius, Schuppius, Susemihlius, de Wilamovitzius.

Kiesslingii et Wilamovitzii benevolentia contigit, ut in seminarium philologicum reciperer, cuius sodalis extraordinarius fui per duo semestria, ordinarius per duo. Ut exercitationibus Aristotelicis et Ciceronianis interessem, benigne permisit Susemihlius.

Quibus viris doctis omnibus, qui studia mea moderati sunt, imprimis autem Susemihlio, Kiesslingio, de Wilamovitzio, optime de me meritis, gratias ago quam maximas.

Sententiae controversae.

I. Seneca Nat. Quaest. I, 1, 2 codicis E scripturam: ‚interroget, qui dicit illum respondere non posse.' servandam esse credo.

II. Ap. eund. N. Q. II, 22, 2 propono: ‚Vides etiam, quantum fervorem sensura sunt corpora aliorum transitu trita, nubium tantum debere credi vi siderum, quorum' e.q.s.

III. Ascon. in Scaurian. p. 19, 17 scribo: ‚M. quoque Drusum tribunum plebis cohortatus fecit, ut' e.q.s. (cod. S. fuit).

IV. Antig. Caryst. c. 138 fortasse legendum est: ‚*Εὔδοξον δὲ τὴν ἐν τῷ ἄλσει τῷ τῆς Ἀλφειούσης τὸν ἀλφὸν παύειν*', quod si verum est, Plinii N. H. 31, 11 vel auctoris eius verba sic emendanda sunt: ‚In luco Alpheaeae vitiligines tolli' e.q.s.

V. Aristot. Eth. Nicom. IV p. 1124 b 29 sq. conicio: *καταφρονητικὸς γάρ· παρρησιαστικὸς δὲ διὰ τὸ καταφρονητικὸς εἶναι καὶ ἀληθευτικός* e.q.s.

VI. Recte Zellerus (III^{3} 1, p. 436 adn. 4) contendit contra Hirzelium (untersuch. zu Cicero I) Velleii verba Cic. N. D. I, 19, 50: ‚et si quae interimant' e.q.s. a Cicerone esse adiecta.

Ienae, typis Frommanni (H. Pohle).